

Franckesche Stiftungen zu Halle

Io. Anast. Freylinghsii, Pastoris Vlriciani Et Gymnasii Scholarchae, Fvndamenta Theologiae Christianae, In Doctrinis Fidei Ex Verbo Dei Perspicve ...

Freylinghausen, Johann Anastasius

Halis Magdeb., MDCCLXXV.

VD18 13062689

Pars Prior

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-206191

PARS PRIOR

ARTICVLVS PRIMVS

DE

NOTITIA DEI, TVM QVA
ESSENTIAM ET ATTRIBVTA,
TVM QVA PERSONAS
SPECTATI.

§. I.

Notitia
Dei quo-
tuplex?Naturalis
notitia
quid?Superna-
turalis
quid?

Notitia Dei duplex est, *generalis* siue *naturalis*, et *specialis* siue *supernaturalis*. Illa (naturalis) omnium hominum mentibus a Deo insita est naturaliter, et, vt ita loquar, scintillula quædam est, ex lumine concreatæ nobis diuinæ imaginis residua, cuius beneficio homo cognoscit, non posse non esse Deum aliquem, a quo omnia sint, qui omnia moderetur, et quem, tanquam ens æternum, omnipotens et iustum, timeri oporteat. Rom. I, 18. II, 15. Ad quam cognitionem deinceps accedit, vt intellectu naturali, si diligentius inuestiget res creatas, earumque admirandam conseruationem, ordinem et gubernationem pensitet, magis magisque intelligat ac comprehendat, quod sit aliquis Deus, et quid sit, Rom. I, 20. Hæc (supernaturalis) est, quæ per Spiritus sancti illuminationem ex verbo Dei hauritur, in quo sese Deus, speciatim quod ad essentiam et voluntatem suam de fa-

salute nostra in Christo Iesu, patefecit, Io. XVII, 3. Matth. XI, 25. 26. 27. Eph. I, 17. Pf. CXIX, 105. 2 Petr. I, 19. Non tantum autem ab illa generali et naturali notitia, ex lumine naturæ oriunda, sed a mere quoque historica et litterali, quæ ex scriptura, etiam ab homine Spiritus sancti operationi locum haud relincente, adeoque ex propriæ rationis viribus acquiri potest, distinguenda est. Ier. VIII, 8. Matth. XV, 14. 1 Tim. I, 7. VI, 3-5. Tit. I, 1. 16. Et, quemadmodum *Vtra notitia salutaris?* illa (*naturalis*) infirmior atque imperfectior est, quam ut æternam salutem nostram possit efficere, 1 Cor. I, 21. Bar. III, 20-23. (tametsi Deus illa, tamquam pædagogia, hanc in rem uti vult, Act. XVII, 27. Matth. II, 2.) ita e contrario in hac (*supernaturali* et *spirituali*) vita æterna sita est, Io. XVII, 3. *LV-THERVS* Comment. ad Gal. c. IV. Tom. IV. Ienens. lat. fol. 128. a fin. (Tom. VI. Alt. fol. 775. b.) „*Vt fieri potest, ut aliquis mihi notus sit facie, quem tamen vere non novi, quia non intelligo, quæ sit voluntas ipsius erga me. Quare homines naturaliter nouerunt Deum esse, sed quid velit, quid non velit, ignorant.*” Quamobrem ea, quæ de Deo cognoscenda nobis sunt, non tam super naturalem notitiam, quam super reuelatum Dei verbum fundari oportet. Sirac. I, 5. 6. 2 Tim. III, 15-17. 2 Petr. I, 19.

§. II.

Deus
quid ?

Quærentibus autem nobis, quid Deus sit, sacra scriptura responder, esse eum *essentiam spirituales et invisibilem*, per se existentem, aliarumque bonarum rerum omnium originem, causam atque principium; id quod speciatim nominis *Iehoua* ratio postulat. Io. IV, 24. 1 Tim. VI, 16. Ies. XLIII, 10. 11. XLIV, 6. Rom. XI, 36. 1 Cor. VIII, 6. Hinc Deus ab omni eo, quod corporeum est atque ullam compositionem olere potest, longe est remotissimus. Et quamquam sacræ litteræ humana ei membra tribuunt; hæc tamen haud aliter, atque cum essentia eius spirituali consistere possunt, capienda sunt. Quum igitur Deus sit spiritus, oportet, ut spiritu ac veritate eum adoremus, Io. IV, 24. non in corpore tantum, sed in spiritu etiam nostro concelebremus, 1 Cor. VI, 20. et animum nostrum ad spiritualia et invisibilia bona, ad quæ possidenda nos Deus præcipue vocavit, intendamus, Eph. I, 3. Et quum sit omnium rerum principium et finis, homo sibi ipsi nihil boni tribuere, sed omnia ad Deum referre, in ipsoque tanquam unico, summo et vero bono acquiescere, et quidquid ipse non est, contemnere ac pro nihilo putare debet. Ps. LXXIII, 25. 26. 1 Cor. VIII, 5. 6.

Cognitio
spiritualis
essentiæ
Dei ad
quid ad-
hibenda ?

§. III.

De notitia Dei.

5

§. III.

Præcipua attributa, secundum quæ Præcipua Deus vult cognosci, sunt: Aeternitas, im- mutabilitas, omnipotentia, omniscientia, Dei quæ- omniscientia, omnipræsentia, veracitas, nam? sanctitas, iustitia et misericordia.

§. IV.

Aeternitas Deo tributa indicat, quod Aeterni- esse non cæperit, nec desiturus sit, nullaque tas Dei differentia aut vicissitudo temporis in ipsum quid? cadat. Pf. XC, 2. 3. 4. 5. Ies. XLIV, 6. Sirac. XXXIX, 24. 25. 2 Petr. III, 8. *LVTHERVS* in h. l. Tom. V. Witteb. lat. fol. 499. b. (Tom. II. Alt. p. 484.) „Deus non adspicit tempus „secundum longum, sed velut transuersum „positum, quemadmodum si quis prælongam „arborem transuerse ante se positam conspi- „ciat, quo certe pacto vtramque extrema- „tem vno adspectu comprehendit, quod nequi- „ret, si ab vna extremitate stans per longum „illam contempleretur.” Hanc in Deo pro- Huius at- prietatem homo Dei, par est, ita honoret, tributi vt in æterno Deo æternam etiam caritatem cognitio ac gratiam ad excitandam et corroborandam quo va- filialem fiduciam credat, 2 Tim. I, 9. Pf. CIII, 17. et oblitus eorum, quæ ad tem- let? pus spectant et cum tempore finiuntur, illa, quæ æterna sunt, confectetur, 2 Cor. IV, 17. 18. Col. III, 1. 2.

§. V.

Cum æternitate Dei quodam modo Per im-

A 3

con-

mutabili-
tatem Dei
quid in-
telligi-
tur?

conuenit *immutabilitas*, per quam intelligitur, quod ipse in se, siue ratione essentiae et attributorum suorum, nulli vicissitudini obnoxius, sed semper *ὁ αὐτός*, *unus et idem* est, Ps. CII, 26-28. Iac. I, 17. Mal. III, 6. *Sicut erat in principio et nunc et semper*. Vid. Hebr. XIII, 8. Adhuc æque potens, sapiens, iustus, sanctus, benignus, verax, fidelis et perfectus est, atque fuit ab omni aeternitate et pristinis temporibus, idemque futurus est perpetuo. Ies. XL, 28. LIX, 1.

Huius at-
tributi
cognitio
quo va-
let?

buti cognitio eo valet, ut ex omnibus beneficiis, iudiciis, miraculis, et viis, quibus Deus nomen suum testatum et illustre fecit, animum nostrum in omnibus necessitatibus et difficultatibus tanto melius confirmemus, ab eoque auxilium, praesidium et liberationem speremus et nobis polliceamur, Ps. XLIV, 2-6. Efficit quoque stabilem et immutabilem fidelitatem in Deum et homines alios, Apoc. II, 10. Matth. V, 37. nostrasque mentes a rerum mutabilium fiducia atque amore auocare, contra vero ad sincerum amorem ac fiduciam in Deum immutabilem flectere efficaciter potest, 1 Io. II, 15, 17. Matth. VI, 19, 20. Ps. CXLVI, 3-6.

§. VI.

Omnipo-
tentia Dei
quid de-
notat?

Omnipotentia Dei ex immensa ac spiritali essentia eius fluit, eamque denotat facultatem, qua Deus omnia facere potest, quæ vult, sine vlla exceptione, Ps. CXV, 3.

Luc.

Luc. I, 37. Eph. III, 20. *LUTHERVS* in Deuter. VIII. Tom. III. Witteb. lat. fol. 44. b. (Tom. V. Alt. fol. 1063. b.) „*Omnia ex omnibus, omnia in omnia, omnia ex nihilo, omnia in nihilum potest dare et mutare.*” Cognoscitur maxime ex opere creationis, Vnde eo-
 conseruationis et reparationis; quo mor- gnosci-
 tuorum resurrectio et omnia miracula perti- tur?
 nent. Rom. I, 20. Act. III, 21. Eph. I, 19. 20.
 Io. X, 38. Fides hominis si cum ista omni- Quam
 potentia se coniungit, omnia ei fieri possunt. hinc uili-
 Marc. IX, 23. XI, 22-24. et quidquid Deus tatem ca-
 postulat et præcipit, verbo eius freta alacri- pit fides?
 ter adgredi, et in omni necessitate opem et
 auxilium illius promittere sibi potest. Ios. I,
 5-9. Ps. LXXIII, 30-43. XXVII, 3. LXXXVII, 11.
 In animo hominis si testata sit et manifesta,
 iram, quam Deus in lege sua minatur, me-
 ruit. Orat. Manass. com. 1 5. Matth. X, 28.
 neque vero de implendis promissionibus
 euangelii dubitat diffidentia. Rom. IV, 17-21.
 Hebr. XI, 17-19.

§. VII.

Omniscientia Dei res præteritas, præ- Omnisci-
 sentes et futuras omnes, cogitationes etiam entia Dei
 et adfectiones animi occultissimas, penitus quomodo
 perspectas planeque cognitatas habet. Ps. se habet?
 CXXXIX, 1-4. I. I. 12. 15, 16. Ies. XLI, 21-29. In quo se-
 Deus secundum hanc proprietatem in con- cundum
 scientia hominum etiam irrogenitorum sese hanc pro-
 patrefacit, Rom. II, 15. dilectis autem suis prietatem
 A 4 eam Deus se
 patefecit?

eam declarat, testando per spiritum prophetiæ, 2 Sam. VII, 19. Apoc. I, 1. XIX, 10. exaudiendo preces eorum, et explendo retrusa et abdita animi desideria, Ps. XXXIV, 16. XXXVIII, 10. Gen. XXIV, 45. Dan. II, 22. IX, 23. Act. X, 4. Clarissime autem omnibus et singulis sese patefactura est in die extremi iudicii, Ecclef. XII, 14. Rom. II, 16. 1 Cor. IV, 5. Apoc. XX, 12. Quisquis eam vere credit, ab omnibus, clandestinis etiam, peccatis, prauis cogitationibus, dolo et simulatione sibi cavet, Sirac. XXIII, 26. 27. 28. Ier. XVII, 10. Iob. XXXIV, 21. 22. animum suum Deo probandum et explorandum offert, Ps. CXXXIX, 23. 24. omnesque inutiles curas in inopia et egestate, quæ animum obruere cupiunt, abiicit, Matth. VI, 8. 18.

§. VIII.

Omnifapientia eiusmodi proprietatem in Deo est, secundum quam omnia intelligit, bene gubernat et ordinat, consiliumque suum ad certum et gloriosum exitum perducit, Iob. XII, 13. 14. Ies. XL, 13. 14. Rom. XVI, 27. Ies. XXII, 29. Dan. II, 20. 21. Cognoscitur maxime ex opere creationis et conseruationis, Ps. CIV. Iob. XXXIII. XXXIX. Ier. X, 12. redemptionis generis humani et gubernationis ecclesiæ suæ. Eph. III, 10. Rom. XI, 33. 34. Quisquis ad eam animum attendit, is in peculiari vitæ suæ ratione eam sentit, Pf. nem illius

Pf. IV, 4. LXXIII, 24. Rom. VIII, 28. Gen. ad quid
 L, 20. Qui vere eam credit, stultitiam adhibet
 suam agnoscit, Sirac. LI, 27. a Deo in omni- homo fi-
 bus ipsius viis sapientiam petit, 1 Reg. III, delis?
 7-9. Sap. IX, 9. Iac. I, 5. III, 17. nec quid-
 quam ei praescribit, sed se suasque actiones
 omnes Domino et sanctae eius providentiae
 committit, Pf. XXXVII, 5. 1 Petr. V, 7.

§. IX.

Omnipraesentia Dei facit, ut ipse, tan- *Omnipraesentia*
 quam spiritus immensus, secundum essen- *praesentia*
 tiam suam omnibus in locis vere et efficaci- *Dei quid?*
 ter praesto, nusquam absens, nec vero vs-
 quam inclusus sit, Pf. CXXXIX, 7-10. Act.
 XVII, 27. 28. vid. etiam Ies. VI, 1. LXVI, 1.
 Quum igitur hoc sciamus, hoc ipso excitari *Ad quid*
 debemus, ut semper sic, tanquam illo spe- *ea nos ex-*
 ctante, vitam agamus, Gen. XVII, 1. pecca- *citare de-*
 tum fugiamus, Ier. XXIII, 23. 24. et ubi- *bet?*
 que locorum de auxilio et praesidio diuino
 bona quaeque nobis persuadeamus et polli-
 ceamur. Ies. XLV, 1. 2. Pf. XXIII, 4.

§. X.

Veracitas Dei est, quod promissiones *Veracitas*
 et comminationes suas iusto tempore certe *Dei quid?*
 et efficaciter implet, 1 Sam. XV, 29. Pf.
 XXXIII, 4. 2 Cor. I, 20. Hebr. VI, 17. 18.
 Ios. XXIII, 14. 15. 16. Rom. XI, 29. Hanc *Cognitio*
 proprietatem filii Dei ita referre debent, ut eius quo
 celestis Patris sui exemplo omne mendacium *valet?*
 ex animo detestentur, veritati autem stu-

A 5 deant,

deant, Eph. IV, 25. Iac. V, 12. promissionibus diuinis plena fide adhæreant, comminationesque filiali animo metuant, 2 Sam. VII, 28. Luc. I, 45. Rom. IV, 20. Hebr. XI, 11. Deut. XXIX, 19.

§. XI.

Sanctitas
Dei quid?

Sanctitas Dei attributum est, secundum quod ipse nobis proponitur vt essentia, res creatas vniuersas, visibiles et inuisibiles, sublimitate, excellentia et maiestate quam longissime superans, atque adeo ab omni idea rei creatæ infinite separata, vtpote lumen habitans inaccessum, in se ipso autem et essentia sua perfectissime beata, bona, pura, et omni peccato vacua, quæ nihil quoque, nisi quod bonum est ac vitio caret, operari potest. Ies. VI, 3. Pl. XXII, 4. XCII, 16. Iob. XV, 15. 1 Tim. VI, 16. Matth. XIX, 17.

Quomodo illa se
prodit?

1 Io. I, 5. Iac. I, 13. Attributum hoc in vniuscuiusque hominis conscientia quodam modo se prodit, Rom. II, 15. multo autem clarius ex verbo diuino, lege pariter, Deut. IV, 8. Rom. VII, 7. 12. atque euangelio, Tit. II, 10-12. 14. elucet. Omnium autem clarissime apparuit in Christo Iesu, substantiali Patris imagine, quippe qui sine peccato fuit, nec per vmbra (vti pontifex veteris testamenti Exod. XXXIX, 30.) sed vere קדש ליהוה sanctitatem Iehouæ in fronte sua gestauit, 1 Io. III, 5. Hebr. VII, 26-28. et ideo patefactus est, vt peccata nostra tolleret,

leret, Hebr. IX, 28. Io. I, 29. atque amissam
 Dei imaginem in sanctitate et iustitia instau-
 raret, 2 Cor. III, 18. Huius attributi cog- Cognitio
 nitio in mentibus fidelium id efficit, ut non illius
 nisi cum summa admiratione et reuerentia quid effi-
 tam sanctum nomen colant atque adorent, cit?
 Ies. VI, 2. Apoc. IV, 8. 10. eaque propter ab
 omni et corporis et animi labe se ipsos pur-
 gare, contra ea sanctam et a moribus huius
 sæculi alienam vitam in conspectu Dei et
 hominum agere studeant, 1 Io. III, 3. 2 Cor.
 VII, 1. 2. 1 Petr. I, 15. 17. Leuit. XI, 44. 45.
 XIX, 2. Rom. XII, 1. 2.

§. XII.

Iustitia Dei attributum est, secundum Iustitia
 quod in rebus ab se creatis bonum amat et Dei quid?
 præmiis adscit: malum vero omne odit et
 punit, Exod. XX, 5. 6. Hebr. X, 30. 31.
 Hanc perfectionem Deus præcipue in opere Quomo-
 redemptionis, ubi ad tollenda peccata nostra do hanc
 proprio filio non pepercit, demonstravit, Deus de-
 Ies. LIII, 6. 8. 9. Rom. III, 26. VIII, 32. monstra-
 eiusque testimonium in omnium conscientia vit?
 later, Rom. I, 32. II, 15. Io. III, 20. 21. et
 in specialioribus iudiciis ac præmiis sese pro-
 dit; omnium autem præclarissime cernetur,
 quando Deus in magna illa iudicii die suis
 cuique factis digna solvet, Rom. II, 5. 12.
 2 Thess. I, 6. 7. 2 Cor. V, 10. Gal. VI, 8.
 Cognitio huius attributi instigare nos debet, Cognitio
 ut Deum, dominum nostrum, reuerenter eius ad
et quid nos

infigare et religiose colamus, Hebr. XII, 28. 29. vid.
debet? Exod. XXIII, 20. 21. iuste etiam nos gera-
mus aduersus alios, Prou. XVII, 15. Leuit.
XIX, 35. 36. et in recti iustique studio di-
uinum præsidium et auxilium, deuotata
omni vindicta propria, speremus et exspecte-
mus, Rom. XII, 19. Pf. CIII, 6. Mich. VI, 9.
LVTHERVS in Pf. VII, com. 12. Tom. III.
Witteb. lat. fol. 197. b. (Tom. II. Alt. fol.
650. b.) „*Vel hoc solum verbum, DEVS*
„IUDEX IUSTVS, potens est, si digne pense-
„tur, humiles consolari et superbos terrere.”

§ XIII.

Bonitas et Bonitas et misericordia Dei attributum
miseri- est, secundum quod Deus caritate, benefi-
cordia centia et miseratione omnes res creatas, spe-
Dei quid? ciatim homines, et inter hos specialissime
pænitentes et credentes complectitur, quip-
pe quibus propter Christum peccata condo-
nat et gratiam concedit, erga quos etiam in
futuris sæculis omnibus immensas gratiæ
sue opes pro beneficentia sua in Christo Iesu
demonstraturus est, 1 Io. IV, 16. Sap. XI, 24.
25. Pf. XXXVI, 6. 7. 8. CXLV, 8. 9. Hof. XI, 8. 9.
Eph. II, 7. *LVTHERVS* in Pf. CXI. Tom. V.
Alteb. fol. 344. b. (Tom. IV. Alt. fol. 603. a.)
„*Nomina DEVS et DOMINVS aliquid in se*
„habent, quod terret, quia sunt nomina ma-
„iestatis, agnomina autem BONVS et MISE-
„RICORS plena sunt consolationis ac gaudii;
„nec scio, an Deus vspiam in sacris litteris
„ama-

amabiliore nomine se appellari iubeat. Tu
modo caue, aliud ei nomen tribuas in animo
tuo, nec ipsum finge alium in conscientia
tua, alioquin iniuria ipsum summoque do-
lore adficies, tibi autem ipsi maximum im-
portabis damnum. Dei proprium et nati-
uum opus est benefacere, irasci autem alie-
num ipsius opus dicitur., Cognitio huius
attributi ad hoc adhibenda a nobis est, ut
in omni necessitate filialem fiduciam in tam
bono ac misericorde Deo collocemus et re-
tineamus, Pf. XXXI, 8. CXXX, 7. preces
in hoc ipso fundemus, Pf. XIII, 6. ad abne-
gandam omnem vitiositatem, contra vero
ad tanto lubentius feruiendum Deo since-
rumque amorem ac beneficentiam aliis ho-
minibus ostendendam excitemur. Rom.
XII, 1. Luc. VI, 36. Matth. V, 44-45.
XIX, 33. I Io. IV, 11.

§. XIV.

Vnus est Deus, cuius autem essentia Num
tribus distinctis personis (seu tribus vere
subsistentibus) gaudet.

vnus tan-
tum
Deus?

§. XV.

Præter hunc triunum Deum non est Annon
Deus alius, quamuis homines multos sibi præter
faciant deos, et Deus ipse nonnullis hoc no- hunc De-
men tribuat, Deut. IV, 35. VI, 4. Ies. XLIV, 6. us alius?
XLV, 5. I Tim. II, 5. Eph. IV, 6. I Cor.
VIII, 4-6. Qui hunc igitur non mere hi- Cognitio
storica fide, vii dæmones; (Iac. II, 19.) sed eius quo
in valet?

in Spiritus sancti lumine cognoscit et credit, ei in hoc ipso magnum solatium est, nihil omnino esse, quod extimescat aut horreat, si hunc vnum verum Deum, qui solus omnia est, sibi propitium habeat. Rom. VIII, 31. Ies. XLIV, 8-11. Talis vero homo cauet, ne amore huius sæculi alienos deos sibi fingat, Phil. III, 19. Eph. V, 5. Col. III, 5. non seruit duobus dominis, Matth. VI, 24. 2 Cor. VI, 14-18. sed vni vero Deo cum timore, amore ac fiducia adhærescit, semetipsum et res creatas omnes abnegans, per simplicitatem, quæ est in Christo Iesu. Exod. XX, 2-5. 2 Cor. XI, 3. Matth. VI, 22. Luc. X, 42.

§. XVI.

Hic Deus
vnus quis
est et quo-
modo vo-
catur?

Hic vnus Deus est et vocatur *Pater*, *Filius* et *Spiritus sanctus*, qui tres proinde non sunt tres dii, sed *tres personæ in vna essentia* diuina. *LUTHERVS* in tria symbola christianæ fidei, Tom. VII. Witteb. lat. fol. 143. b. (Tom. VI. Alt. fol. 1262. a.) „*Id vero quomodo fiat, fide apprehendendum est: nam ipsis angelis inscrutabile est, qui quidem cum perpetua letitia illud spectant.*” vid. Matth. XI, 25. Fundamentum autem hoc maximum et summum sacrosanctæ Trinitatis mysterium habet in *utriusque testamenti libris*, ita tamen, vt argumenta, ex nouo testamento desumpta, ea, quæ ex veteri adferuntur, claritate et perspicuitate superent

ac

ac magis illustrent, quandoquidem Deo optimo maximo placuit noui fœderis temporibus, quæ propterea diei comparantur, pro sapiente sua et speciali œconomia ad miraculorum et mysteriorum sacrorum cognitionem cumulationem lucis et diuinæ claritatis mensuram, quam quidem antiqui fœderis temporibus, vbi quasi nox fuit, impertire, Rom. XIII, 12. XVI, 25. 26. 1 Io. II, 8.

§. XVII.

Ex veteri testamento ad hoc mysterium Ad hoc demonstrandum facit (1) *compendiaria de-* mysteri-
scriptio creationis, Gen. I, 1-3. quippe um de-
quæ in loco iam citato, interprete spiritu mon-
prophetico per Dauidem, Ps. XXXIII, 6. et strandum
apostolico per ipsum Ioannem, Io. I, 1. seqq. quidnam
et Paulum Hébr. I, 2. XI, 3. (a) Deo siue facit ex
DOMINO, (b) VERBO et (c) SPIRITUI veteri te-
stamento?
oris eius, tanquam tribus inuicem distinctis
personis, tribuitur. (2) *Τεσσαρῶν Sera-*
phicum, Ies. VI, 3. in quo vocabulum *sanctus*
ter repetitum non tantum magnitudinem et
excellentiam sanctitatis Dei, sed tres etiam
personas in vna deitate indicat, quemadmo-
dum ex comm. 8. aliquatenus, clarissime au-
tem ex collatione huius cap. VI. et Io. XII,
40. 41. nec non Act. XXVIII, 25. 26. li-
quet; vtpote secundum quæ testimonia *Fi-*
lio et *Spiritui sancto* τὸ *sanctus* succlamatum
fuit a Seraphim, sicuti de *Patre* nemo infi-
ciatur. Ex eodem trinæ repetitionis fun-
damen-

damen-

damento, quod non humana ratio, sed ipsa sanctorum et Spiritu Dei actorum hominum interpretatio in locis proxime citatis aperuit et confirmavit, hoc mysterium demonstrat (3) *Benedictio Aaronis* et filiorum eius *sacerdotalis* Num. VI, 24. 25. 26. (vid. quoque Psalm. LXVII, 7. 8.) quippe in qua vox יהוה magna cum emphasi ter iteratur, et NOMEN, quod sacerdotes super Israelitis nuncupare debeant, vocatur: quemadmodum in nouo testamento per baptismum nomen *Patris, Filii* et *Spiritus sancti* super Israelitis secundum spiritum nuncupatur, Matth. XXVIII, 19. (4) *Adlocutio Moysi*, ad populum Israeliticum directa, Deut. VI, 4. quæ secundum sermonem hebræum et accentus ita reddenda: *Audi, Israel, (α) Iehoua, (β) Deus noster, (γ) Iehoua, unus (est).* (5) *Sermo Messie*, Ies. VIII, 18. Eum enim heic loqui, ex Hebr. II, 13. liquet. Hic autem est *Iehoua exercituum*, ab ipsis sancte colendus, l. c. com. 13. collat. Luc. II, 34. Rom. IX, 33. 1 Petr. II, 7, cui tamen Iehoua (Pater Io. XVII, 6-9.) filios dedit a *Iehoua exercituum*, Sionem montem incolente, l. c. com. 18. (Spiritu scilicet sancto, ex quo per verbum et baptismum regeneramur. Io. III, 5. Tit. III, 5.) Si hæc argumenta, et ea, quæ §. XVIII. ex nouo testamento peruntur, pro fundamento iacent; certe manifestum est, sacrosanctæ Trinitatis mysterium in omnibus

bus etiam veteris testamenti locis fundatum esse, in quibus Deus nomine pluralis numeri **אלהים** appellatur, vel certæ ipsi proprietates numero plurali (secundum sermonem hebræum) tribuuntur, e. g. Ios. XXIV, 19. Ier. X, 10; vel in quibus Deus ad se ipsum, tamquam alius ad alium, loquens inducitur, vide Gen. I, 26. III, 22. XI, 7. XIX, 24. Exod. XXIII, 20. 21. Ps. CX, 1. Ier. XXIII, 5. 6. Hof. I, 7; vel in quibus Patris tantum, vel Filii, vel Spiritus sancti nomen, respectu habito ad Deum, exprimitur, siquidem istæ appellationes aliæ ad alias respiciunt, et iunctim lectæ atque inter se collatæ, veritatem essentiae divinæ triunius, non minus dilucide demonstrant, e. g. Ies. LXIII, 16. Ps. II, 7. Prov. XXX, 4. Ies. LXI, 1.

§. XVIII.

Ex nouo testamento hoc ipsum mysterium Quid ex demonstrat (1) *manifestatio ad Iordanem* flu- nouo te-
uium, et quidem *Patris* per vocem, *Filii* stamento?
in adsumta humanitate, *Spiritus sancti* in
forma columbæ, Matth. III, 16. 17. (2) *Ver-
ba institutionis sacri baptismatis*, quippe in
quibus expressa omnium trium personarum
mentio fit, Matth. XXVIII, 19. (3) *Promis-
sio Christi*, Io. XIV, 16. 17. utpote in qua
ipse (*Filius Dei*) a *Patre* alium *aduocatum*,
scilicet veritatis spiritum, pollicetur. (4) *Ap-
pellatio trium testium celestium*, qui vnum
sunt.

B

sunt.

Quo pacto fieri potest, ut tres vnum sint?

sunt, 1 Io. V, 7. (5) *Vota apostolica* Pauli, 2 Cor. XIII, 13. et Ioannis, Apoc. I, 4. 5. quæ salutarem vsum et suauissimam consolationem huius veritatis de essentia diuina triuna simul in se continent et aperiunt. Fieri posse, ut tres vnum sint, ratio, vti supra diximus, adsequi nequit, tametsi variis imaginibus et similitudinibus ex natura desumptis id illustrari potest. Fides autem in sacrae scripturae testimoniis simpliciter acquiescit, quippe in quibus Deus ita sese patefecit; et Spiritus est, qui testificatur, spiritum veritatem esse, 1 Io. V, 6.

§. XIX.

Quodnam hac in re nostrum est officium?

Officium nostrum est, (1) Deo optimo maximo submissas gratias agere, quod hoc magnum mysterium in verbo suo nobis reuelarit, quippe quod sine ista reuelatione cognoscere non possemus, Prov. XXX, 4. (2) Ipsum sedulo inuocare, ut ex verbo suo per Spiritum sapientiae et patefactionis in animis etiam nostris sese patefaciat, suamque gratiam, caritatem ac communionem largiendo hoc sacrosanctum mysterium in nobis obsignet, Eph. I, 16. 17. 1 Cor. II, 10. 2 Cor. XIII, 13. (3) Cum hoc triuno et vero Deo sancte et intime per fidem ac caritatem nos coniungere, deuitatis omnibus iis, quæ vlllo modo ab ea nos diuellere ac distrahere possunt. Ps. LXXIII, 25. 26. 1 Io. I, 6. 7. Ies. LIX, 2. (4) Permittere, ut hæc beatif-

beatissima et summa communio, caritas et
vnitas, quæ est inter Patrem et Filium per
Spiritus sanctum, in nobis etiam et inter nos
veram vnitatem et amoris coniunctionem per
eundem Spiritum efficiat, Io. XVII, 11. 21.

§. XX.

Solatium ex hac doctrina est, (1) quod in cognitione Dei sita sit vita æterna, et in hoc mysterio omnes sapientiæ ac scientiæ opes reconditæ sint, Io. XVII, 3. Col. II, 23.

(2) Quod Deus animæ suæ amanti pro bonitate sua magis magisque se cognoscendum & gustandum exhibiturus sit, Io. XIV, 21. 23.

(3) Quod ipsum, quem in hac vita imperfecte cognoscimus, aliquando ita, quemadmodum ab ipso sumus recogniri, recognituri, et ex intuitu ac perfruitione purissimi illius ac perfectissimi amoris, qui est inter Patrem et Filium per vinculum Spiritus sancti, sempiternam voluptatem percepturi sumus, 1 Cor. XIII, 9. 12. 1 Io. III, 2. Ps. XVII, 15.

ARTICVLVS SECVNDVS

D E

CREATION.

§. I.

Quum in articulo antecedenti doctrina Quomodo hic ar-
de Deo triuno, Patre, Filio et Spi-
ritu sancto, generatim proposita fir-
tulus ex-
ordo postulat, vt de singulis personis specia-
præceden-
ti fuit?

B 2

tim,

tim, et de eo, quod vnique tribuitur, et in quo sese quæque patefecit, iam agamus.

§. II.

Primæ personæ *Pater* est. Cui quum *opus creationis* speciatim adscribitur, ad sacræ scripturæ ductum ea de re strictim disputabimus.

§. III.

Creator quis? Si quæris, *quis* sit omnium rerum *creator*; respondemus: IEHOVA est, verus atque essentialis Deus, qui hoc opere ab omnibus falsis diis se distinguit, Ies. XL, 28. 22. 26. XLV, 18. XLIV, 24. Ier. X, 11. 12. Et quidem *omnes tres personæ* eo ipso sese statim manifestarunt, quemadmodum ex Gen. I. collat. Io. I, 1. 2. et Ps. XXXIII, 6. liquido apparet. In specie hoc opus, ut modo diximus, *Patri* adscribitur, secundum symbolum apostolicum, et sacrarum litterarum testimonia, 1 Cor. VIII, 6. Hebr. I, 2. non tamen excluso *Filio* et *Spiritu sancto*. De *Filio* probatur ex Prov. VIII, 22-30. Ps. CII, 26. collat. Hebr. I, 10. Io. I, 3. Col. I, 16. De *Spiritu S.* ex Gen. I, 2. Iob. XXXIII, 4. Ps. XXXIII, 6. Cum *humana* etiam *Iesu Christi* seruatoris nostri *natura*, in diuinam hypostasim adsumta, quum plenum tempus aduenisset, inter reliqua diuina attributa vim et potentiam aliquid creandi communicatam esse, id quidem multa

Quomodo creationem cuiuslibet personæ speciatim competere probatur?

mira-

miracula, quæ propria virtute in officio suo patrauit, testantur.

§. IV.

Ordo creationis describitur Gen. I, 1. Ordo seqq. Situs autem est in eo, quod *prima* creationis die omnia, in quibus cælum et terra consistit, simul fecit, quæ autem adhuc rudis et indigesta quædam moles erant, alias chaos vocitata. Lucem etiam ex tenebris lucere iussit, c. I, 2. 3. 2 Cor. IV, 6. Ps. CIV, 2. CXII, 4. *Secunda* die maximam fecit separationem, quum cælum a terra disiunxit: fecit itidem angelos suos ventos, ministros suos ignem flammantem, c. I, 6-8. Ps. CIV, 3. 4. *Tertia* die in globo terrestri aquas ab ipsa tellure separauit, terra sponte sua, nullis grauidata feminibus, virtute verbi diuini varias stirpes, herbas et arbores procreante, c. I, 9-13. Ps. CIV, 5-18. *Quarta* die copiosorem lucis primigeniæ partem in certa corpora, solem, lunam et astra collegit, & hæc in expanso posuit, c. I, 14-19. Ps. CIV, 19-24. *Quinta* die aqua pisces & volucres verbo Dei produxit, c. I, 20-23. Tandem die *sexta* Deus varia animantium ac reptilium genera et postremo loco homines creauit, c. I, 24-31. qui, cum magna prærogatiua præ reliquis rebus creatis, illius, Dei, genus sunt, Luc. III, 38. Act. XVII, 28. *LVTHERVS* Conc. in Genes. Tom. IV. Alt. fol. 15. b. „Die ultima format
B 3 „homi-

„hominem, ante autem domum ei edificat,
 „lucem in aethere facit, cetera, ut recte
 „animadvertamus, Deum nostri haud obliuisci,
 „sed tanquam amantissimum patrem nostrum
 „omnibus bonis nos ornare, et omnia prius
 „apparare, quam hominem condant. „ Atque
 hoc modo perfecti sunt caeli et terra eorum-
 que omnes copiae: quo facto Deus die *septi-*
ma in typum sancti sabbatissimi, qui populo
 Dei superest, ab omnibus operibus a se effe-
 ctis feriatu*s* iisque delectatus est; quem diem
 propterea praereliquis sacrum festumque et
 laetum fecit, c. II, 1-4. Pl. CIV, 27-31.
 Hebr. IV, 3-10. Act. III, 20. collat. Exod.
 XXIII, 12. XXXI, 15. 17.

§. V.

Quomo-
do facta
creatio?

Ceterum creatio a Deo per solam ipsius
 omnipotentem voluntatem facta est, sine la-
 bore et molestia, Rom. IV, 17. Apoc. IV, 11.
 Pl. XXXIII, 9. Ies. XL, 28. et quidem *μη ἐν*
φανομένων, non ex apparentibus facta sunt,
 quae conspiciuntur, Hebr. XI, 3. Ita ut quae
 Dei sunt inadspectabilia, cuiusmodi est eius
 sempiterna potentia atque diuinitas, ea ex
 mundi opificio perspiciantur, Rom. I, 20.
 Sap. XII, 1. Sirac. XLIII, 1. seqq. Omnia
 autem per *Verbum* facta sunt, et absque eo
 factum est nihil, quod factum est, Io. I, 3.
 2 Petr. III, 5. Hebr. XI, 3.

§. VI.

Creata
quanam?

Creata sunt omnia, quae existunt, praer-
 ter

ter ipsum Deum creatorem, scilicet cælum et terra et vniuersa, quæ in illis sunt, Gen. II, 1. res *visibiles*, inter quas homines, et *inuisibiles*, inter quas angeli præcipui sunt, Col. I, 16. qui in principio omnes boni creati sunt, Gen. I, 31. Sirac. XXXIX, 21. 39. 40.

§. VII.

Quamquam autem Deus hanc modo Qua in re descriptam creationem sex dierum interval- Deus ad- lo absoluit; tamen in hodiernum vsque huc hodie diem vim ac potentiam creandi demonstrat, vim crean- quandoquidem per *רָא וַיֵּבְרָא* (*fiat*) quod in- di demon- stratur?

principio effatus est, res vniuersas in natura sua ac naturalibus proprietatibus conseruat, et creaturas ad generandum constitutas, beneficio virium, quas eis in creatione imper- tituit, genus suum propagare ac multiplica- re iuber. Vnde quidquid inter homines, animantia ac vegetabilia ex semel introducto ordine generatur, tamquam res a Deo crea- ta spectandum est, Mal. II, 10. Ps. CIV, 30. Act. XVII, 26. *LUTHERVS* Comment. in Genes. Tom. VI. Witteb. fol. 18. b. (Tom. IX. Alt. fol. 36. a.) „*Si mundus confisteret infini- tis annis, virtus horum verborum* (Gen. I, „20.) *non interiret, sed esset perpetua multi- plicatio, vi istius verbi, seu primæ, ut sic lo- quar, foundationis.*”

§. VIII.

Finis, ad quem Deus omnia creauit, *Finis* est honor et gloria nominis sui, siquidem creationis

vniversum creationis opus et res singulas conditas, maximas minimas, quasi pro speculo incomprehensibilis maiestatis, potentiae, sapientiae et bonitatis diuinæ haberi oportet. Sirac. XLIII, 1. Rom. I, 20. XI, 36. Col. I, 16. 17. Apoc. IV, 11. Interim omnia, quæ in terra sunt, et certo modo reliqua etiam omnia, quæ in vniverso hoc mundo reperiuntur, *hominum gratia* creauit, Gen. I, 26. Pf. CXV, 16.

§. IX.

Officium
nostrum
secundum
hanc do-
ctrinam
quodnam
est?

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) Deum, sanctorum et dilectorum suorum exemplo, pro creatione summis laudibus venerari, et ad hoc ipsum ex intuitu et vfu rerum creatarum nos excitare, Pf. CIV, tot. CXLVIII, tot. Sirac. XLII, 15. seqq. XLIII. Act. XIV, 17. XVII, 27. 1 Cor. X, 30. 31. (2) Omnia nostra, animam cum facultatibus suis, corpus itidem cum membris suis, soli Dei gloriæ & cultui dicare et mancipare. 1 Cor. VI, 20. Rom. VI, 13. (3) Rebus creatis vti, ita vt non abutamur, Rom. VIII, 20. (4) Animum nostrum non in rebus creatis defigere, sed in solo creatore acquiescere, Rom. I, 25. Pf. LXXIII, 25.

§. X.

Solatum
quodnam?

Solatum, (1) quod Deus res omnes, ab se conditas, præcipue autem homines, ardenti amore prosequatur, ex eoque amo-
re

re miseriis eorum commouetur, Ps. CIII. tot. Sap. XI, 25-27. Iei. LXIV, 8. (2) Quod Deus, qui essentiam et vitam nobis dedit, non minus libenter illa nobis daturus sit, quæ ad eam conseruandam necessaria sunt, Matth. VI, 25. (3) Quod Deus imaginem suam, tamquam præcipuum primæ creationis ornamentum, quam perdidimus, nouæ creationis beneficio in regeneratione instaurare velit, Ps. LI, 12. Eph. II, 10. 2 Cor. IV, 6. 1 Theff. V, 5. (4) Quod Christus Iesus, tamquam posterior Adamus, ius et libertatem rebus creatis bene beateque vtendi, qua per prioris Adami defectionem excidimus, per exinanitionem et inopiam suam nobis recuperarit, 1 Cor. III, 21-23. 2 Cor. VIII, 9. 1 Tim. IV, 3-5. (5) Quod futurum sit, vt res creatæ ab execratione, qua per hominis lapsum obstrictæ tenentur, liberentur et perpurgentur, quando Deus nouum cælum nouamque terram conditurus, et omnia noua factururus est, Rom. VIII, 19. 2 Petr. III, 10. 13. Apoc. XXI, 1. 5. *LUTHERVS* Comment. in Gen. c. XLV. Tom. VI. Witteb. fol. 682. a. (Tom. IX. Alt. fol. 1415. b.) „Deus „non solum terram, sed et cælum ipsum longe „pulchrius faciet, vbi veteri indumento fuerit „exutum. Das ist nur sein Werckekleid, hernach wird er sie einen Osterrock und Pfingstkleid anziehen.“ Vid. etiam Postill. Eccl. in Epist. Dom. IV. post Trinitatis.

ARTICVLVS TERTIVS

DE

ANGELIS.

§. I.

Cur hic
articulus
antece-
dentein
excipit?

Inter res creatas inuisibiles præcipuæ sunt angeli, inter visibiles homines. Sicut autem de homine fufius agetur in parte posteriori; ita ordo requirit, vt in hoc articulo, qui articulum de creatione statim excipit, de *angelis*, ad scripturæ sacræ ductum, mentio fiat.

§. II.

Nomen
angeli
quid de-
notat?

Angeli nomen græcæ originis est, *mun-
tium* vel legatum significans; vnde inter ho-
mines doctõribus, quod a Deo legati esse
debent, (Rom. X, 15.) immo ipsi Christo
tribuitur, Mal. II, 7. III, 1; adeoque non
tam nomen naturæ et essentiæ, quam officii
et ministerii est illorum spirituum inuisibi-
lium, de quibus heic agitur, et qui alioqui
natura ab hominibus & reliquis rebus crea-
tis differunt.

§. III.

Certumne
dari ange-
los?

Tametsi, eiusmodi angelos dari, huma-
næ rationi occultum est, et omni æuo fue-
runt, quos angelicam naturam negare non
puduit, Act. XXIII, 8; scriptura tamen de
illis clara et perspicua testimonia habet, qui-
bus fides nostra niti potest ac debet.

§. IV.

§. IV.

Est autem inter angelos ipsos *discrimen*, Discrimen inter
ita, vt alii *boni* (simpliciter dicti angeli,) alii *mali* sint, qui etiam *dæmones* vocantur. *angelos*
Vnde de vtrisque agendum est *figillatim*. *quod-*
nam?

§. V.

Ad *originem* bonorum angelorum quod *Angelo-*
attinet, iam precedente articulo ostendimus, *rum origo*
eos non similiter, atque Deus fuit, ex se *vnde?*
ipsis fuisse ab omni æternitate, sed a Deo esse
creatos. Quamuis enim creationis eorum
Gen. I. non iniiciatur expressa mentio; co-
piis tamen cælorum adnumerandi sunt, de
quibus sermo est Gen. II, 1. quemadmodum
ex collatione Ps. CIV, 4. Luc. II, 13. 14. &
Neh. IX, 6. videre est.

§. VI.

Natura spiritus, hoc est, essentia sunt, Angeli
corporis materialis siue naturalis *expers*, *natura*
Hebr. I, 14. Luc. XXIV, 39. vnde in sua na- *quid?*
tura *inuisibiles* sunt, tamen in adsumto hu-
mano corpore sæpius apparuerunt. Certe *Quænam*
rum propria eorum indoles ac natura ex *eis pro-*
eximiis *proprietatibus*, quas scriptura sacra *prietates*
eis tribuit, cognosci potest. Quo spectat, *tribuun-*
quod sint spiritus *sapientes* et maxime *intel-*
ligentes, 2 Sam. XIV, 20. non tamen omni-
fici, vti Deus, Marc. XIII, 32; quod sint
sancti, Matth. XXV, 31. vnde nihil vo-
lunt, nisi quod Deus vult, et in integrita-
tis statu ita iam confirmati sunt, vt eo ex-
cide-

cidere, aut quidquam velle et facere præter id, quod bonum et rectum est, haud possint. Ideo iam beati sunt, et in conspectu Dei semper versantur, c. XVIII, 10. Præterea etiam *potentes*, non tamen omnipotentes, spiritus sunt, Ps. CIII, 20. 2 Reg. XIX, 35. Dan. X, 13. *LUTHERVS* in Exod. c. XIV. Tom. III. Alt. fol. 616. h. „Ego mallem unicum angelum custodem circum me habere, quam viginti quatuor Turcorum imperatores cum omnibus opibus ac copiis suis: qui etiamsi vel centum millia bombardarum secum haberent, tamen cum unico angelo comparati pro nihilo ducendi sunt.“ Ad quam potentiam summa quoque *agilitas* eorum referenda est, quæ in scriptura sacra per alas eis tributas denotatur, Ies. VI, 2. Dan. IX, 21.

§. VII.

De eorum numero Ceterum *ingentem* angelorum numerum esse, et certum ac pulcherrimum *ordinem* et ordine inter eos obtinere, statuendum est, Dan. VII, 10. Ps. LXVIII, 18. Marth. XXVI, 53. **quid statuendum?** Luc. II, 13. Hebr. XII, 22. Sicut ex diuersis eorum nominibus colligi etiam potest, non omnes æquales esse, sed dari aliquod inter eos discrimen, Eph. I, 21. Col. I, 16. 1 Petr. III, 22. 1 Thess. IV, 16. Quin immo probabile est, angelos alios aliis præesse, contra vero hos illis obtemperare, item alios aliis esse sapientiores, intelligentiores, potentiores, præstantiores: quandoquidem
Deus

Deus Deus ordinis est, et in multiplici discrimine, ut in visibili, sic in invisibili mundo, infinitam sapientiam suam sine dubio commendat et patefacit.

§. VIII.

In officiis ac *muniis* suis res eis maxime Angelorum est cum Deo et hominibus. Respectu *Dei* rum officii nobilissimum eorum negotium est, ipsum *cia* quæ laudare, et a nutu eius ad omne mittentis *nam* re-obsequium esse paratissimos. Ps. CIII, 20. 21. *spectu* Dei? Ies. VI, 3. Nostro etiam Servatori secundum humanam naturam religiose subiecti, Matth. IV, 11. Phil. II, 10. Hebr. I, 6. Et quemadmodum in conceptione et natiuitate, in oliueto, in resurrectione et adscensione in cælum ipsi a ministerio fuerunt; ita quoque in aduentu eius ad iudicium variis modis futuri sunt. Matth. XIII, 41. 42. XXV, 31. Respectu *hominum* angelis negotium datum *Quænam* est, ut eos, in primis pios, custodiant, *respectu* Hebr. I, 14. Ps. XXXIV, 8. XCI, 11. 12. *hominum?* Zach. III, 7, Gen. XIX, 10. seqq. 2 Reg. XIX, 35. Act. XII, 7. 11. *Singulis* etiam *statibus hierarchicis* et diuinis ordinibus tutelam et auxilium præstant. Deus per illos legem tulit, Gal. III, 19. et euangelium de Christi incarnatione, natiuitate et resurrectione per eos primum adnuntiandum curauit, Luc. I, 30. 31. II, 9. 10. Marc. XVI, 6. Adfunt præsentés in conuentu fidelium, 1 Cor. XI, 10. adfunt fidei doctoribus ecclesiæ,

sic,

fiat, vti ex exemplo Lothi, Elifai, Petri aliorumque constat. In statu politico vigilant pro conseruatione rerum publicarum et religionis in iisdem, Dan. X, 13. In statu œconomico familias tuentur, Iob. I, 10. ipsos adeo paruulos, Matth. XVIII, 10. comitantur facientes iter, Genes. XXIV, 7. XXXII, 1. Tob. V, 5. 6. X, 12. & tandem animas hominum fidelium post mortem portant in finem Abrahæ, Luc. XVI, 22.

LVTHERVS Conc. de bonis et malis angelis, Tom. VIII. Alt. fol. 985. b. „*Istud san-*
 „*ctorum angelorum ministerium non videtur*
 „*esse splendidum; enimvero hinc videmus,*
 „*quæ sint vere bona opera. Angeli non sunt*
 „*ita superbi, vti quidem nos homines, sed in*
 „*diuino versantur obsequio et ministerio ho-*
 „*minum, curamque gerunt paruulorum.*
 „*Quomodo vilius opus possent peragere, quam*
 „*quod dies noctesque ministros se præbent*
 „*paruulis?* „ Præter hæc munia non impro-
 probabile est, Deum quibusdam angelis certas prouincias ac regna dispartiuisse, ita vt alius in hac, alius in ista regione maxime habeat, quod agat. Qua de re vid. Dan. X, 13. 20. Act. XVI, 9. Ipsum item certis elementis ac rebus creatis certos angelos, qui eorum curam gererent, præfecisse, Apoc. XIV, 18. & XVI, 4. Io. V, 4. immo generatim orbem præsentem angelis esse subiectum, ex Hebr. II, 5. liquet.

§. IX.

Quid præ-
 terea de
 eorum of-
 ficiis pro-
 babiliter
 credi po-
 test?

§. IX.

Officium nostrum hac in re est, (1) Deo Quod-
pro custodia angelorum, et beneficiis, per nam hac
illos in nos aliosque collatis, submissas gra- in re offi-
tias agere; vid. Tob. XII, 7. 18. 20. 22. cium no-
(2) Cauere, ne vitæ improbitate eos con- strum?
tristemus, sed vera resipiscentia potius ex-
hilarare; Luc. XV, 10. (3) Parvulorum
nullum contemnere, quibus custodes et de-
fensores a Deo dati sunt, Matth. XVIII, 10.
Denique (4) bonum eorum exemplum in
laudando Deo, in obedientia, in humilita-
te et caritate, in sanctitate et puritate imita-
ri, eorumque indolis conformes fieri, ut
ita fiat voluntas Dei a nobis in terra, sicut
ab illis fit in cælo. Matth. VI, 10. vid. etiam
Apoc. V, 11. 13.

§. X.

Solacium hoc est: (1) Quod ex eo, quod Quod-
cælestis Pater ipsos principes suos cælestes nam sola-
nobis custodes constituit, singularem eius tium?
in nos amorem percipere possimus; (2)
Quod eorum amicitiam, tutelam et custo-
diam, si in viis Dei incedamus, promittere
nobis possimus, Ps. XXXIV, 8. *LUTHERVS*
Comment. in Gen. c. XXIV. Tom. VI. Witteb.
fol. 337. a. (Tom. IX. Alt. fol. 673. b.) „Di-
„scamus, optimos et constantissimos amicos no-
„stros esse invisibiles, angelos videlicet, qui
„fide et benevolentia et omnibus officiis amici-
„tiae longe superant visibiles amicos.” *IDEM*
Enar-

Enarrat. in Zachar. c. II. Tom. V. Witteb. fol. 521. b. (Tom. IV. Alt. fol. 292. a.)

„Christianus homo nullis indiget stipendiis, quibus alat exercitum, nec armis, nec com-
 „meatibus; securo est animo, quippe quum
 „habeat igneum murum circum se, qui vitam
 „eius in æternum defendit et conseruat.”

(3) Quod angeli in morte ipsa circum nos sint animasque nostras, Christi sanguine et Spiritu expurgatas, in locum beatitudinis a Deo eis præstitutum transferant, Luc. XVI, 22. (4) Quod aliquando eorum similes futuri et sub magno illo fœderis Angelo, IESU CHRISTO, in consuetudine illorum ac familiaritate æternum versaturi simus. Luc. XX, 36. Eph. I, 10. Hebr. XII, 22.

§. XI.

De malo-
 rum an-
 gelorum
 origine et
 lapſu quid
 notan-
 dum?

Angeli mali in principio æque ac boni a Deo, non vero tales, sed sancti ac boni, creati sunt, Gen. I, 31. Ista autem sanctitate exciderunt, atque ita ex bonis mali angeli euaserunt et dæmones, Io. VIII, 44. 2 Petr. II, 4. Ep. Iud. com. 6. Quomodo eorum defectio contigerit, sacræ litteræ non definiunt explanate. Ex animi elatione, quæ nunc est in diabolo, plerumque colligitur, defectiois vitium in eo potissimum constituisse, quod in sapientia et sanctitate sua, quam in solius Dei gloriam conuertere debebat, sibi placuerit, hinc se ipso delectatus, et supra diuinitus ipsi concessum digni-
 tatis

tatis gradum sese efferre conatus sit. *LVTHERVS* De nouissimis verbis Dauidis, Tom. III. Wirteb. fol. 110. a. (Tom. VIII. Alt. fol. 335. b.) „Non contentus diabolus, quod in hac praestanti natura una cum reliquis praestantibus electis angelis erat imago Dei -- sed ausus est horribili superbia appetere etiam hanc gloriam illius aeternae imaginis intra ipsam essentiam diuinitatis. Per istum lapsum vniuersa eorum natura adeo deprauata est, ut diuina lux diuinusque amor in illis penitus extinctus et in meras horribiles tenebras atque odium commutatus sit, ita ut non possint non mala agere et peccare; quemadmodum ex sequentibus apparet.

§. XII.

Naturam eorum et essentiam si spectas, *Natura* et spiritus sunt perinde ac boni angeli, Luc. XI, 24. Eph. VI, 12. *LVTHERVS* De bonis et malis angelis, Tom. VIII. Alt. fol. 982. b. „Vti homo malus homo est ac vocatur, et saepius rationis sollertia et intelligentia bonum ac religiosum hominem praestat, in rebus videlicet naturalibus ac civilibus; ita demones angelica et spiritali natura praediti sunt non minus quam boni ac sancti angeli. Hinc per essentiam etiam inuisibiles sunt, sicut angeli boni, nec oculis corporis videri possunt, nisi in adsumtis certis corporibus: quemadmodum satanam in paradiso in serpentem se induisse legimus, Gen. III, 1-15.

C

Ad

Quænam
eorum
proprietates?

Ad cognoscendam eorum naturam spectant etiam eorum *proprietates*. Sunt autem *fortes* ac potentes spiritus, quod spiritualis essentia eorum exigit, Luc. XI, 21. *astuti* item et fallaces; unde diabolus vocatur *serpens antiquus*, qui astutia sua totum orbem deceperit, et in lucis angelum transformetur, Gen. III, 1. Apoc. XII, 9. 2 Cor. XI, 13. 14. Præterea *pravi*, *impuri* et *mendaces* spiritus sunt. Hinc voluntas eorum diuinæ voluntati in omnibus maxime aduersaria est, ita ut ament, quæ Deus odit, et oderint, quæ Deus amat, Luc. XI, 24. 1 Io. V, 18. Io. VIII, 44. *LV THERVS* De bonis et malis angelis, Tom. VIII. Alt. fol. 982. b. „*Potentia eius maior est, quam decem imperatorum Turcorum potentia. Versutia eius omnium hominum versutiam superat, et malitia eius malitia omnium hominum maior est.*”

§. XIII.

De eorum
numero
et ordine
quid notandum?

Quemadmodum bonorum, ita malorum quoque angelorum *ingens* est numerus, Marc. V, 9. et uti inter illos, ita et inter hos certus ordo est. Hinc cuiusdam Beelzebulis fit mentio, qui demoniorum princeps sit, regni item satanæ, in quo spiritus, quos sibi subiectos habet, ipsi morem gerant, et una voluntate inter se consentiant, ut stare possit. Luc. XI, 15. Quo referendum est, quod alii aliis astutiores, potentiores ac deterio-

terio-

teriores sunt, quamuis omnes sint astuti,
potentes ac mali, com. 26.

§. XIV.

Quemadmodum angelis bonis certa sunt ^{angelorum} ~~munia~~ et occupationes; ita diabolus eiusque ^{angelorum} angeli numquam otiosi sunt, sed semper ^{negotia et} operantur. Omnes autem operationes dia- ^{occupationes} boli fructus sunt inimiciarum, quas cum ^{nam?} Deo eiusque sanctis angelis, maxime autem cum genere humano, habet et gerit. Etenim cum angelis suis semper *resistit* Domino, et diuino ipsius consilio omnibus viribus atque opibus perpetuo repugnat, vocatus inde suo merito *satanas*, Apoc. XII, 9. ^{Quomodo se gerunt aduersus Deum?}
LVTHERVS Conc. I. de sanctis angelis, Tom. V. Alt. fol. 596. b. „*Ex veritate facti mendacium, et ex Deo diabolum.*” Hoc pacto primum hominem, in iustitia et sanctitate creatum, ad defectionem induxit, ^{Quomodo aduersus homines?} Gen. III, 1. seqq. 2 Cor. XI, 3. Io. VIII, 44. et postquam Deus hominum misertus Filium eis suum seruatorem dedit, innumeris ipsos laqueis irretitos tenet, vt Dei consilium reiciant aduersus semetipsos, neque adeo ad cognitionem salutis veniant. 2 Cor. IV, 4. Luc. VIII, 12. Qui vero ad salutis cognitionem venerunt, eos variis modis tentat, vt, nisi diligenter sibi caueant, per ipsius astutiam a simplicitate, quæ est in Christo, facile deflectere et salutis iacturam facere possint. 2 Cor. XI, 3. 1 Tim. V, 15. 1 Petr. V, 8.

LUTHERVS ibid. fol. 593. b. „*Homo christi-
anus nosse debet, inter ipsos demones sede-
re se medium, et diabolum ipsi propiorem
esse tunica vel indusio, immo ipsa cutē sua;
esse nos ab eo circumvretitos, ut continuis
præliis cum ipso decertemus, necesse sit.*”

Quomo-
do aduer-
sus tres
status
hierarchi-
cos?

Omnes status eum sibi inimicum atque in-
fensum habent. In statu ecclesiastico hære-
ses, falsos vates, varia prodigia mendacia
excitat, malas herbas ferit inter frumentum,
multisque modis cursum et fructum diuini
verbi impedire nititur. 1 Reg. XXII, 22.
1 Theff. II, 18. 2 Theff. II, 9. 10. Math.
XIII, 27. 28. In statu politico dissidia, dis-
cordias, seditiones et bella mouet, et pote-
state magistratus ad opprimendos homines
pios ac religiosos abutitur, Dan. X, 13.
Apoc. XIII, 4-7. In statu economico coniun-
gibus eorumque liberis, externis etiam bo-
nis ac fortunis multifariam insidiatur, 1 Cor.
VII, 5. Iob. I. tot. Tob. VIII. tot. ita ut frau-
dum, insidiarum et astutiarum eius nume-
rus iniri non possit. Ceterum malorum an-
gelorum ministerio Deus cum ad puniendos
malos, tum ad castigandos et probandos
bonos utitur, Ps. LXXVIII, 49. Iob. I. et II.
2 Cor. XII, 7. Apoc. XII, 4.

Ministe-
rio eorum
ad quid
Deus uti-
tur?

§. XV.

Qualis eo-
rum nunc integritate sua confirmati sunt, et perpetua
est condi-
tio? beatitudine coram Deo fruuntur; ita malorum

miseria

misera ac damnabilis est conditio, eosque extremum manet supplicium. Quamquam enim in ipsa sua defectione ex angelis lucis tetri et fœdi demones facti et tenebrarum catenis vincti sunt; 2 Petr. II, 4. Ep. Iud, com. 6. Christus etiam redemptione sua diaboli opera aboleuit, et in regenitis adhuc semper aboler: Col. II, 15. 1 Io. III, 8. V, 18. ille tamen adhuc potestatem habet aeris et tenebrarum huius mundi, vigetque in contumacibus hominibus, Eph. II, 2.3. Vnde reliquum est, vt in terram, Apoc. XII, 8.9. 13. et ex terra in tartarum, c. XX, 1-3. et ex tartaro in igneum sulphureumque stagnum coniiciatur, in quo cruciabitur dies ac noctes in omnem perennitatem, Ies. XXIV, 21. 22. Apoc. XX, 10.

§. XVI.

Officium nostrum est, (1) ex satanæ potestate ad Deum nos conuertere, et tum gratias ipsi agere, quod nos per Christum ex tenebrarum potestate vindicauerit, et diabolo vires suas atque opes eripuerit; Act. XXVI, 18. Col. I, 12. 13. II, 15. Hebr. II, 14. (2) Deum feruentibus orare precibus, vt hostem nostrum eiusque dolos nobis dereget, et a potestate illius atque insidiis tutos nos præster; Rom. XVI, 20. Apoc. II, 24. coll. 1 Cor. II, 10. 2 Cor. II, 11. (3) inducere (πανοπλίαν Θεῆς) diuinam armaturam, vt possimus adgressiones sustinere diaboli,

38 Part. I. Art. III. De angelis.

boli, Eph. VI, 11. seqq. (4) peccata omnia summopere vitare et fugere, tamquam laqueos, quibus fatanas homines comprehendit et in sua potestate retinet. 2 Tim. II, 26. 1 Io. III, 8.

§. XVII.

Quodnam solatium aduersus angelos malos?

Solatium, (1) quod Christus fatanam eiusque angelos quantumuis potentes iam vicerit; Io. XII, 31. vid. §. XVI. (2) Quod et nos fide illum vincere possimus; 1 Io. II, 13. V, 18. 1 Petr. V, 8. Apoc. XII, 11. (3) quod nobis a fatana, etiamsi omnibus elaboraret viribus, omnesque adhibeat machinas atque insidias, sine Dei nutu atque arbitrio nihil noceri possit; Iob. II, 2. 5. 6. Matth. VIII, 31. 32. (4) quod omnes eius tentationes, caelestis Patris sic prouidente sapientia, ad bonum nobis conferre oporteat; Rom. VIII, 28. 2 Cor. XII, 7. 8. 9. (5) quod tandem futurum sit, ut ab omnibus tentationibus fatanae liberemur, eumque vna cum angelis suis iudicemus, 1 Cor. VI, 2.

ARTICVLVS QVARTVS

DE

DIVINA PROVIDENTIA, CONSERVATIONE ET GVBERNATIONE.

§. I.

Alterum beneficium, quo

Alterum beneficium, quo caelestis Pater sese manifestat, est *prouidentia*, *conser-*

Part. I. Art. IV. De diu. prouid. 39

seruatio et gubernatio rerum omnium, quæ prima quidem aliquo modo ex lumine naturæ et persona quotidiana experientia, omnium autem optime ex sacrarum litterarum testimoniis cognosci potest, quorum igitur ad ductum præcipua eius momenta heic consideranda sunt.

§. II.

Is, qui omnia in mundo conseruat, Quis conseruat, curat ac gubernat, *Deus O. M.* est, utpote a quo omnia creata sunt. Speciatim *Pater*, qui in hoc opere sese manifestat, Matth. VI, 26. 32. Io. V, 17. non excluso tamen *Filio* et *Spiritu sancto*, quemadmodum ex citato loco Io. V, 17. item Col. I, 17. Hebr. I, 3. et Ps. CXXXIX, 7. liquet. Et quidem Deus in hac sua vniuersali prouidentia agit pro sua omnipotentia, Ps. CXXXV, 6. misericordia et iustitia, Ps. XXXVI, 6. 7. 8. sapientia et scientia, Matth. VI, 32. Act. XV, 18. et voluntatis suæ arbitratu, ita ut nullius rei creatæ consilio egeat, ex nullius pendeat voluntate, Eph. I, 11. *LVTHERVVS* Adnotat. in Eccles. c. III. Tom. IV. Witteb. fol. 12. b. (Tom. V. Alt. fol. 1212.) „Sic ergo intellige, omnia humana opera et studia habere, certum et definitum tempus agendi, incipiendi et finiendi extra facultatem humanam, ut sit dictum contra liberum arbitrium, quod nostrum non sit, tempus, modum et effectum præscribere rebus agendis, planeque heic falli studia et conatus nostros, sed

„sed tunc omnia ire aut venire, quando
Deus statuit.“

§. III.

Num

Deus hoc
in opere
adiutores
habet?

In isto opere, si proprie loquamur, Deus non habet adiutores, sed ille ipse est, qui solus facit omnia, Ies. XLIV, 24. Rom. XI, 36. interim ipsi sua sunt instrumenta, sui ministri, quorum huic hoc illi illud demandat, eiusque ministerio peragit. Ita angelis in presenti mundo magnam potestatem dedit: vid. Io. V, 3. 4. Apoc. XIV, 18. Hebr. II, 5. sicut et magistratus ac reges in munere suo gubernationis ipsius administri sunt, Sap. VI, 4. 5.

§. IV.

Obiectum
diuinæ
providen-
tiæ quod-
nam?

Obiectum diuinæ providentiæ et gubernationis generale sunt omnes res creatæ, animatæ et inanimatæ, vniversum cælum cum copiis suis, terra, et quæcumque sunt in ea, maria, et quidquid est in eis. Neh. IX, 6. Sap. XII, 13. Singula etiam indiuidua, et quæ nobis vilissima et inutilissima videntur, diuinæ providentiæ et gubernationi subiecta sunt, Matth. X, 29. 30. Luc. XII, 6. Obiectum eius speciale sunt homines, Actor. XVII, 28. Matth. V, 45. I Cor. IX, 9. specialissimum fideles ac pii, Psalm. I, 6. IV, 4. XXII, 11. 12. LXXIII, 24. Ies. XLV, 15. 17. Matth. VI, 26. 30. X, 30. 31. I Tim. IV, 10. Hebr. I, 14.

§. V.

De diuina prouidentia. 41

§. V.

Forma diuinæ prouidentiae in eo con- *Forma*
fistit, (1) quod Deus res creatas omnes con- *diuinæ*
seruat. Hinc earum nulla vel minimum *providen-*
quid ex se habet, sed omnis earum essentia *tiae in quo*
ac virtus continuo quasi ex virtute Dei ema- *consistit?*
nat, Hebr. I, 3. Act. XVII, 28. Quo spe-
ctat, quod Deus omnes species rerum crea-
tarum, exempli causa, animalium, piscium,
auium et reptilium, graminum, herbarum
et arborum conseruat, et in decedentium
locum semper alia iuber succedere ac succre-
scere, Matth. VI, 30. Ps. CIV, 29. 30. quod
pastum et alimenta suppeditat, com. 27. 28.
CXLV, 15. 16. Matth. VI, 26. eque bene-
ficio luminis solaris, niuis ac pluuiae, aeris
et ventorum ex terra producit, facitque, vt
illis adferant incrementum, Ps. LXV, 10.
CIV, 10. CXLVII, 8. Matth. V, 45. Act.
XIV, 17. Hominum, vti diximus, in ista di-
uina prouidentia ac conseruatione tanto ma-
ior prae reliquis rebus creatis est prerogati-
ua. Dei vis et potentia est, quod in vtero
animamur et formamur, et in lucem edimur;
eadem etiam diuina virtute per omnem vi-
tam nostram conseruemur oportet. Iob. X, 8.
Ps. CXXXIX, 14. Act. XVII, 28. 26. (2)
Quod Deus in et cum omnibus rebus crea-
tis operatur, ita, vt omnes earum actiones
et operationes, quatenus naturales et bonae
sunt, sint actiones et operationes Dei in ipsis

et per ipsas, Matth. IV, 4. V, 45. Dan. V, 23. Act. XVII, 28. Ps. LXXIV, 16. CXLVII, 16. 17. 18. *LUTHERVS* Conc. in Gen. Tom. IV. Alt. fol. 8. a. „Ita *Mosen* intelligimus, „ostendentem nobis in omnibus rebus creatis „Deum, per easque nos ducentem ad Deum, „ita ut, simulac res conditas intueamur, cogitemus, adesse Deum. Ut adeo omnes res „create in essentia et operibus suis sine ulla intermissione pulsantur atque agitentur per „verbum. „ (3) Quod Deus omnia in mundo voluntatis suae arbitratu dirigit. Prou. XXI, 30. 31. Eph. I, 11. Quo pertinet, quod omnium hominum mentes sunt in manu Dei, et quod illas eo, quo vult, flectit, Ps. XXXIII, 10. 15. Prou. XXI, 1. Ier. X, 23. quod alios euehit et ditat, alios deprimat et depauperat in hoc mundo, 1 Sam. II, 7. 8. XVI, 7. Ps. CXIII, 7. 8. Prou. XXX, 8. Sirac. XI, 14. et quod unicuique terminum vitae fixit, Iob. XIV, 5. quem tamen homo culpa sua abbreviare, sicut eum Deus e contrario pro sua liberrima gratia prolongare potest, Ps. LV, 24. Gen. XXXVIII, 7-10. Num. XIV, 29. coll. Ps. XC, 8-13. Ies. XXXVIII, 5. *Malum*, quod in mundo fit, Deus non operatur, nec approbat, nec quempiam ad illud impellit; sed vel impedit, vel sanctis de causis permittit, cerrum ei terminum praestituit, ad bonum finem id dirigit, tandem malum commissum puni-

Divina
providen-
tia quate-
nus ad
malum
spectat?

De diuina prouidentia. 43

nit. Pf. V, 5. Iac. I, 13. Act. II, 23. Genes. L, 20. 2 Sam. XVI, 11. In his omnibus Deus secundum ordinem naturæ a se constitutum agit, eo tamen se non adstringit, sed nonnumquam extra istum ordinem operatur, quemadmodum ex omnibus miraculis facile videre est. Ios. X, 12. 2 Reg. VI, 6.

§. VI.

Finis diuinæ prouidentiae et gubernationis est *Dei gloria*, ut scilicet in gubernatione sua magis atque magis agnoscatur et celebretur. Pf. CIV, 1. 33. Rom. XI, 36. Finis diuinæ prouidentiae quis?

Tum *hominum utilitas*, Sap. XI, 24-27. in primis piorum salus, ob quos Deus in gubernatione sua multos, malos etiam, beneficiis adfecit, Act. XXVII, 24. vid. Gen. XVIII, 24. seqq. XXX, 27-30. XXXIX, 5.

§. VII.

Officium nostrum est, (1) Deo pro summa, sancta et gloriosa prouidentia ac gubernatione gratias agere; Apoc. IV, 11. Pf. CIV, 1. seqq. (2) gubernationem eius placido animo comprobare, siue nostris cogitationibus et votis conformis fuerit, siue aduersa; Iob. I, 21. 2 Sam. XV, 26. XVI, 10. Thren. III, 37-39. (3) ad vestigia sanctæ prouidentiae ac specialiorum viarum eius, per quas nos aliosue ducit, animum diligenter intendere; Pf. LXXIII, 24. CXI, 2. Sirac. II, 11. 12. 13. (4) animum ab omnibus anxiiis curis de toleranda vita nostra auocare,

Quodnam hac in re officium nostrum?

care,

care, quippe quibus providentia eius abnegatur; Matth. VI, 25 - 34. Luc. XXI, 34. Phil. IV, 6. Tob. IV, 22. (5) contra ea nos et omnes res nostras Deo eiusque providentiæ committere, Psalm. XXXVII, 4. 5. 1 Petr. V, 7.

§. VIII.

Quid solatii hinc habent fideles?

Solacium nostrum, (1) quod sine consilio et voluntate patris nostri cælestis nihil nobis accidere possit, Matth. X, 29. (2) quod omnia in utilitatem nostram convertantur, si in amore Dei maneamus, Rom. VIII, 28. (3) quod Deus nos non sit deserturus, neque derelicturus, sed nostri curam ipse gesturus, si quidem eam omnem in ipsum reiecerimus, Hebr. XIII, 5. 6. (4) quod, quum heic sæpe sint penitus recondita eius iudicia et abstrusæ rationes, posthac secreta gubernationis eius, in Dei nostri gloriam, et sempiternam nostram lætitiā cognituri simus.

ARTICVLVS QVINTVS

DE

PRAEDESTINATIONE.

§. I.

Quodnam tertium opus primæ personæ?

Tertium opus, quod Patri, tamquam primæ diuinitatis personæ, tribuitur, est electio siue *prædestinatio*, de qua proinde iam agendum est.

§. II.

§. II.

Ad recte intelligendum hunc articulum, omne Dei consilium de negotio salutis nostræ considerari oportet.

Ad recte
intelligen-
dum hunc
articulum
quid con-
sideran-
dum?

§. III.

Hoc consilium Dei de salute hominum spectandum est tam ratione voluntatis eius, ut vocatur, *antecedentis*, quam *consequentis*.

Secun-
dum quid
consilium
istud Dei
spectan-
dum?

§. IV.

In Deo quidem propter essentiæ simpliciter et immutabilitatem inter vtramque voluntatem nulla est differentia. Pro nostro autem cognoscendi modo voluntas Dei *antecedens* est, quæ æqualiter in omnes homines fertur, sine ullo eorum, ita vel se-
cus sese gerentium, discrimine.

quid?

§. V.

Ad hanc Dei voluntatem *antecedentem* Ad hanc spectat: (1) Quod Deus omnes omnino homines lapsos ab æterno vniuersali, serio atque ardenti amore complexus est, salutis omnium ac singulorum cupidissimus, Io. III, 16. 1 Tim. II, 4. Vnde nullius hominis exitium expetit, Ezech. XVIII, 23. 32. vid. Gen. VI, 6. Luc. XIX, 41. (2) Quod Deus isto amore impulsus *Filium* suum pro omnibus *tradidit*, ut pro omnibus ac singulis satisfaceret, illisque vniuersis salutem ac-

volunta-
tem ante-
cedentem
quid spe-
ctat?

qui-

quireret, Ies. LIII, 5. 6. Io. I, 29. III, 16. Rom. V, 18. 19. 1 Io. II, 2. 2 Cor. V, 14. *LVTHERVS* Comment. in Mich. c. II. Tom. IV. Witteb. fol. 577. a. (Tom. VIII. Alt. fol. 91. b.) „*Deus vult, Christum esse communem thesaurum omnium.* „ (3) Quod Deus omnes homines ad salutem serio vocat et inuitat, eisque subsidia gratiae procurat et offert, quibus ad salutem, ab omni aeternitate ipsis ex amore destinata et a Christo acquisitam, peruenire possunt. Quo tamquam naturalis quaedam paedagogia referenda est naturae humanae insita notitia Dei, Rom. I, 19. 20. 21. et conscientia, c. II, 15. speciatim euangelium de gratia Dei, Matth. XXVIII. 19. Marc. XVI, 15. Luc. XXIV, 47. Rom. X, 14. 17. Col. I, 23. *LVTHERVS* Conc. in Gen. XXII. Tom. IV. Alt. fol. 145. a. „*Deus salutat omnes, pauci ipsi agunt gratias; nihilo tamen secius verum est manetque, omnibus ab eo benedici, hoc est, omnia eis offerri et proponi. Quod vero non omnes christiani efficiuntur, inde est, quod istam salutarem benedictionem repudiant, immo maximam partem persequuntur.* „

§. VI.

Voluntas
Dei consequens
quid?

Voluntas Dei consequens est, quod Deus, quum certum ordinem constituerit, in quo (non extra illum) homines vult seruare, eos tantum, qui hunc diuinum ordinem ingrediuntur, ex gratia elegit, illos autem,

autem, qui ei malitiose et perseveranter repugnant, condemnat, Marc. XVI, 16.

§. VII.

De hac electione notandum, (1) esse De hac electione
eam factam ante omnem temporum æternita- electione
tem, Eph. I, 4. 2 Tim. I, 9. Tit. I, 2. Matth. quid no-
XXV, 34. (2) in Christo, Eph. I, 4. 5. 6. tandum?
2 Tim. I, 9. coll. 1 Petr. I, 20. Aët. II, 23.
(3) secundum propositum, 2 Tim. I, 9. Rom.
VIII, 28. Eph. I, 11. (4) intuitu fidei, quam
Deus in ordine veræ relapscentiæ operatur,
in sanctificatione confirmat, et sub cruce
explorat et probatam reddit, 2 Theif. II, 13.
Eph. I, 19. 20. Phil. I, 29. 30. cuius tamen
operationi homo morose potest resistere,
Matth. XXIII, 37. Aët. VII, 51. Ies. LXIII, 10.
(5) ad divinam adoptionem, adeoque ad sa-
lutem sempiternam. Eph. I, 4. 5. 6. Rom.
VIII, 29. 30.

§. VIII.

Itaque non omnes omnino homines ele- Num
cti sunt, sed vero non Dei culpa, sed suo omnes
ipforum vitio, Matth. XXII, 14. Hof. XIII, 9. omnino
homines
electi?

§. IX.

Præcipua quæstio in hoc articulo non Præcipua
est, an sit electio siue prædestinatio nec ne? quæstio
(id quod nemo negat) sed verum Deus ho- in hoc ar-
mines elegerit ex absoluto quodam decreto, ticulo
ideo tantum, quia ipsi ita placitum fuerit, quænam?
ut hic ille ad æternam salutem pertingeret;
an vero secundum *πρόγνωσιν*, prævisionem,
prou

prout nimirum viderit, hominem aliquando gratiæ suæ locum relicturum, Christumque fide apprehensurum esse? Quod posterius in sacris litteris adfirmatur, atque ex earum præscripto statuendum est.

§. X.

Quod-
nam hinc
nostrum
officium?

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) ab omni rationis nostræ curiositate et temeritate, ut in omnibus, sic præcipue in hoc articulo, sollicitè nobis cauere, Rom. IX, 20. XI, 33. LUTHERVS Præfat. in epist. ad Rom. Tom. V. Witteb. fol. 100. b. „Nisi tribulationem expertus sis; „nisi ad portas inferni aliquando, ut in David et aliis sanctis videmus, ductum te senseris: non poteris hanc prædestinationis sententiam sine periculo et blasphemo quodam fremitu naturæ contra Deum tractare. Necesse est igitur, Adamum veterem primum esse mortificatum, sensum carnis detritum, lactantes in Christo primum adolescere, atque quam meracum hoc bibant. Nam et heic sua quedam pueritia, cui lacte interim opus est, dum solido cibo adsuescat. „ (2) Eo contendere, ut ratum efficiamus nostri vocatum atque electionem, et eo fine quotidianæ pænitiæ, viuæ fidei et sinceræ sanctimoniam operam dare, 2 Petr. I, 5 - 10.

§. XI.

Quod-

Solacium fidelium liberorum Dei ex hac doctrina est, (1) quod beneficio huius electionis

electionis nomina ipsorum ante orbem con-
ditum in libro vitæ scripta sint, Luc. X, 20. ^{lium solatium?}

Phil. IV, 3. vid. Pl. LXIX, 29. (2) quod per
Spiritus sancti, qui est futuræ hereditatis
arrhabo, obsignationem de electione sui
certi fieri possint, 2 Cor. I, 21. 22. V, 1-5.

(3) quod Deus, qui ab æterno eos dilexit
et elegit, multo minus hoc tempore defer-
rurus aut derelicturus sit, Ier. XXXI, 3. Sap.
III, 9. (4) quod eos, vi huius electionis,
nihil ab amore Dei diuellere aut ex manu
Patris cælestis extorquere possit, Rom.
VIII, 33-39. Io. X, 29. Luc. XXII, 31.
2 Tim. II, 19.

ARTICVLVS SEXTVS

DE

CHRISTO ΘΕΑΝΘΡΩΠΩ.

§. I.

Postquam in antecedentibus articulis de Quo-
mo-
prima diuinitatis persona, Patre, il-
do hic ar-
lisque operibus, quæ in sacra scriptu-
ticulus
ra ei tribuuntur, edisseruimus; sequitur ex-
cum ante-
ordine supra indicato, vt de Christo, *secunda*
cedenti
diuinitatis persona, in hoc articulo agamus. *cohaeret?*

§. II.

Doctrina autem de Christo ita diuidi po-
do doctri-
test, vt agatur (1) de ipsius persona, (2) de
na de
officio mediatorio, et (3) de statibus *exinanitionis et exaltationis.* *diuidi*
potest?

D

CAPVT

CAPVT PRIMVM

DE

PERSONA CHRISTI.

§. I.

Quot in
Christo
naturæ?

In Christo *duæ* diuersæ sunt *naturæ*, *diuina* et *humana*, quæ archissime et inseparabiliter vnitæ sunt et vnā personam constituunt.

§. II.

Præcipua
quæstio
in doctrina
de diuinitate
Christi
quænam?

Antequam demonstramus, esse in Christo diuinam naturam, siue Christum esse verum Deum, *præcipuam questionem*, ad quam omnia in hac materia redeunt, intelligamus oportet. Hæc autem quæstio est huiusmodi: Vtrum Christus Iesus per naturam nudus homo, et per exaltationem demum Deus factus, adeoque *filius* a Deo per gratiam *adoptatus* sit; an vero ipsa *natura* et *essentia* verus Deus, et hoc ipsum per æternam generationem a Patre adeptus, adeoque eiusdem, cuius Pater, *essentiæ*, *potentiæ* et *gloriæ* sit? Illud erroneæ Socinianorum scholæ docent; hoc salutaris doctrina, quam in verbo suo patefecit Deus, adseuerat.

§. III.

Veritas
diuinæ
naturæ
Christi
vnde probatur?

Veritas igitur diuinæ naturæ in Christo adseritur et demonstratur:

I. Ex diuinis nominibus, quæ Christo, et quidem eo sensu, quo soli Deo pro-

pro-

propria sunt, in sacra scriptura tribuuntur, Io. I, 1. 2. Act. XX, 28. In his dictis vocabulum *Deus* de Christo sensu maxime proprio, non autem eo, quo angelis et magistratibus tribuitur, accipiendum est, 1 Cor. VIII, 5. Io. X, 34-36. quod præter sermonis cohærentiam et alia loca, quæ de diuinitate Christi agunt, illa etiam dicta confirmant, in quibus cum singulari emphasi *verus Deus*, *Deus super omnia collaudandus in sempiternum*, *magnus Deus* vocatur, e. g. 1 Io. V, 20. Rom. IX, 5. Tit. II, 13.

II. Ex collatione locorum scripturæ veteris et noui testamenti, quorum in his de Christo explicantur, quæ in illis vero et essentiali Deo diserte tribuuntur. Ita inter se conferenda sunt Num. XXI, 5. 6. et 1 Cor. X, 9. Ies. VI, 1. seqq. et Io. XII, 40. 41. Ps. LXVIII, 19. et Eph. IV, 8. Ps. XLV, 7. et Hebr. I, 8. 9. Ps. XCVII, 7. et Hebr. I, 6. Ps. CII, 26. et Hebr. I, 10. 11. 12. Ps. CX, 1. et Hebr. I, 13. et alia loca plura.

III. Ex æterna Filii generatione ex essentia Patris. Vid. Ps. II, 7. Mich. V, 1. 2. Hebr. I, 3. *LUTHERVS* in tria symbola christianæ fidei, Tom. VII. Wirteb. fol. 144. a. (Tom. VI. Alt. fol. 1262. b.) „Creatam lucem non aliunde scriptura or-
tam esse dicit, nisi ex tenebris, hoc est, ex
nihilō. -- Sed heic dicit textus, quod Chri-

D 2

„stus

„*stus sit splendor, non ex tenebris lucens, et*
 „*quod tenebrae non produxerint ipsum, nec*
 „*luceat ex nihilo sed luceat ac resplendeat ex*
 „*ipsa claritate Patris, hoc est, ex interna et na-*
 „*turali illius diuinitate et essentia.*” Huc spe-
 ctant omnia loca, in quibus Deus *Pater* Do-
 mini nostri Iesu Christi, et Christus *Filius* Pa-
 tris appellatur. Io. I, 14. 18. III, 16. V, 18.
 Rom. VIII, 32. Col. I, 15. Hebr. I, 4. 5.

IV. Ex diuinis attributis, quæ
 scriptura æque Filio adsignat atque Patri.
 Vid. Exod. XXIII, 20. 21. quæ sunt (1) *ater-*
nitas, Io. I, 1. 15. 27. VIII, 58. XVII, 5.
 Apoc. XXII, 13. (2) *omnipotentia*, Io. X,
 28. Phil. III, 21. (3) *omniscientia*, Io. II,
 24. 25. XXI, 17. Hebr. IV, 13. Apoc. XXI,
 23. (4) *omnipresens*, Matth. XVIII, 20.
 Eph. I, 23. Apoc. I, 13. II, 1.

V. Ex diuinis operibus, quæ
 Christo competunt, (1) nimirum ex *crea-*
tione, Io. I, 3. Hebr. I, 10. Col. I, 16. (2)
 ex *conseruatione*, Hebr. I, 3. Io. V, 17. (3)
 ex *eduçtione* *Israëliitarum ex Aegypto*, Exod.
 III, 2-6. coll. XXIII, 20. 21. (4) ex *resuscita-*
tione mortuorum, propria quidem virtute
 facta, Io. V, 21. 28. 29. et reliquis eius mi-
 raculis omnibus, Io. XIV, 10. 11. *LVTHE-*
RVS in Io. I. Tom. VI. Altenb. fol. 1174. b.
 „*Quemadmodum Deus per verbum (hoc est,*
 „*Christum, Filium suum) creauit calum et*
 „*ter-*

„terram: ita etiam Christus, quidquid vo-
 „luit, effecit et egit, non nisi per prolatum
 „verbum fecit, e. g. Talitha kumi, hoc est,
 „puella surge. „ cetera. (5) ex redemptione
 generis humani, Act. XX, 28. **LVTHERVS**
 in Comment. ad Galat. c. III. Tom. V. Wit-
 teb. fol. 350. a. (Tom. VI. Alt. fol. 702. a.)
 „Abolere peccatum, destruere mortem, au-
 „ferre maledictionem in se ipso, et donare
 „iustitiam, vitam in lucem producere, adfer-
 „re benedictionem, hoc est, in nihilum redi-
 „gere hac, et creare illa, sunt solius diuinæ
 „potentiae opera. Quia vero scriptura tribuit
 „Christo ista omnia, ideo ipse est vita, iustitia
 „et benedictio, quæ naturaliter et substantia-
 „liter Deus est. „

VI. Ex diuino cultu, qui Chri-
 sto debetur, et re ipsa præstatur.
 Vid. Io. V, 23. XIV, 1. Hebr. I, 6. Apoc.
 V, 13. 14. Matth. XXVIII, 19.

§. IV.

Officium nostrum secundum hanc do- Quod-
 ctrinam est, (1) Christum, seruatorem no- nam offi-
 strum, vt verum, magnum et supra omnia cium no-
 laudandum Deum omni tempore suppliciter strum se-
 ac demisse colere. vid. §. III. n. VI. (2) Li- hanc do-
 benti animo sanctæ ipsius voluntari obtem- ctrinam?
 perare, Luc. VI, 46. coll. 1 Petr. III, 6.

§. V.

Hæc doctrina de Domini nostri Iesu Quod-
 Christi diuinitate magnam nobis adfert con- nam sola-
 sola-
 tium?

solationem, quandoquidem firmiter nobis persuadere possumus, (1) quod meritum et satisfactio eius infinitæ virtutis et valoris sit. *LVTHERVS* in Io. XIV. Tom. VII. Alt. fol. 92. b. „*Si credo, Christum nudum hominem pro me passum esse, Christus ille parui mihi pretii seruator est, ipse seruatoris indigens. Si autem hunc thesaurum et hoc pondus adnecto, quod Christus verus Deus et homo pro me mortuus sit, peccatum omne, mors, orcus et miseria ac meror omnis hoc ipso preponderatur.*” (2) Quod satis virium et facultatis habeat ad tuendum nos ab omnibus aduersis et dandum nobis ad hanc et futuram vitam necessaria. Ies. VIII, 9. 10.

§. VI.

De incarnatione Christi quid notandum?

Præter diuinam, in persona Christi etiam *humana natura* est, adeoque non tantum verus Deus est, sed verus etiam homo. Qua de re notandum, (1) quod ipse a Spiritu sancto in utero Mariæ virginis *conceptus*, Ies. VII, 14. Matth. I, 18. 20. Luc. I, 35. (2) Quod adeo *verus homo* factus sit, quod ad essentiam eiusdem, cuius nos, naturæ Hebr. II, 14. 17. Rom. IX, 5. Gal. IV, 4. non solum vero ac naturali corpore et omnibus corporis membris, perinde ac nos, sed humana etiam anima præditus, Matth. XXVI, 38. Luc. XXIII, 43. 46. (3) Quod simul cum et in ista humana natura *humanas imbecillitates* adsumserit, tam eas, quæ etiam

etiam sine peccato huic naturali vitæ, cum futura æterna vita comparatæ, conueniunt, e. g. comedere, bibere, dormire, ceteras, quam illas, quæ ex peccato omnibus in vniuersum hominibus adhaerent, in Christo autem in statu exinanitionis vitio caruerunt, Matth. IV, 2. Io. XIX, 28. IV, 6. XI, 33. XII, 27. Hebr. II, 17. IV, 15. Vitiōsas autem imbecillitates non adsumsit, 2 Cor. V, 21. Hebr. IV, 15. VII, 26. Io. XIV, 30. 31. I Io. III, 5. I Petr. I, 19. Pri- Cur Chri-
mi generis humanas infirmitates adsumsit, stus alias
vt pati ac mori, secundi vero generis, vt infirmita-
misericors fieri et nostris infirmitatibus adfi- tes adsum-
ci posset; Hebr. II, 17. 18. IV, 15. Ter- sit, alias
tiii generis infirmitates noluit adsumere, vt non ad-
sumsit?
se pro nobis sanctum et mundum sacrificium tradere, atque ita a peccato et morte nos vere liberare posset. *LUTHERVS* Conc. in Gen. III, 15. Tom. II. Alt. fol. 879. a. „Pec-
„cator peccatorem, aut fur furem a patibula
„liberare non potest, homo frugi et innocens
„id faciat oportet. Si igitur Christus opem
„et salutem nobis indigentibus ferre velit,
„conceptio et natiuitas eius pura et sancta sit, Quomo-
„neceffe est.„ Ex quibus omnibus Christi do hoc ad
erga nos amorem cognoscere et celebrare, vilitatem
eius item exemplum in hoc ipso imitari de- nostram
bemus, vt aliorum infirmitates non solum referen-
dum?
toleremus, sed etiam (non quidem expian-
di causâ, sed beneficio mutuæ communio-

nis in Christo) nostras faciamus, quemadmodum Christus non solum infirmitates nostras in nobis tolerauit, sed etiam in se recepit. Rom. IX, 2. XV, 1-4. 1 Cor. IX, 22. Gal. VI, 2. *LUTHERVS* Postill. Eccles. in epist. domin. II. Aduent. (Tom. XIII. Lips. fol. 40. b. fin.) „D. Paulus hoc ipsum dicit „Dei gloriam per Christum instauratam, eo, „quod nos adsumpsit, et peccata nostra aboleuit. „Ita aliorum peccata, onera et infirmitates „in nos recipere, tolerare, emendare, eisque „succurrere debemus. Hoc si peccatores audiunt vel sentiunt, bono animo in Deum esse „incipiunt, et, quam bonus, inquirunt, quam „propitius Deus et verus Pater is est, qui „eiusmodi habet populum, ab illisque requirit, ut nos miseros et infirmos peccatores ne „iudicent, condemnent vel despiciant, sed „adsumant, sed inuent, sed tractent, ac si „nostra peccata nostræque infirmitates sunt ipsorum sue. Quis talem Deum non amet, „laudet, celebret, honoret, et ex toto animo „omnia ei commendet? Quis ille ipse futurus „est, si populum suum esse vult huiusmodi? „

§. VII.

Quomodo vnio
diuinæ et
humanæ
naturæ
vocatur?

Diuina et humana natura in Christo intime et ætissime invicem vnitæ sunt atque coniunctæ; quæ admiranda et inseparabilis vnio ac coniunctio dici solet vnio personalis, quippe in qua duæ naturæ conueniunt, nec tamen nisi vnā personam constitu-

stituunt, 1 Tim. II, 5. III, 16. 1 Cor. VIII, 6. Io. I, 14. Col. II, 9. Hebr. II, 14. 16. *LVTHERVS* in Io. cap. I. Tom. VI. Alt. fol. 1184. a. „*Origenes hanc unionem comparat cum ferro candenti. Quemadmodum ignis ferrum penetrat et permeat, ferroque omni sese miscet; ita VERBUM AETERNUM humanam naturam adsumsit eamque divina luce et vita repleuit, humana etiam natura cum VERBO ita unita est, quemadmodum ferrum ab igne penetratur.*„

§. VIII.

Ex hac arctissima et personali vnione et haec perso-
 communione naturarum existit mutua idio-
 matum vtriusque communicatio. Huius ve-
 ne existit?
 ro communicationis tria sunt genera. Pri-
 Quomo-
 mum genus continet istos loquendi modos, do ista
 quibus ea, quae humanae naturae propria commu-
 sunt, de Christo, vt Deo; et quae diuina nicatio
 naturae propria sunt, de eodem, vt homi-
 idioma-
 tum diui-
 ne, praedicantur, v. g. *Filius Dei natus est ex*
muliere, Gal. IV, 4. *Auctor vitae occisus est*,
 Act. III, 15. *Dominus gloriae cruci adfixus*,
 1 Cor. II, 8. *Filius hominis adscendet eo, ubi*
erat. Io. VI, 62. Secundum genus est,
 quando de operibus et actionibus officii
 Christi sermo est, vt ambae naturae operen-
 tur coniunctim, quaeque quod suum est,
 cum communicatione alterius. Eo referendae
 sunt hae et aliae huiusmodi propositiones:
Deus ecclesiam suo sanguine comparauit, Act.

XX, 28. *Semen mulieris conteret tibi caput, et tu illi calcem illides*, Gen. III, 15. *Christus nos a legis execratione adseruit, factus pro nobis execratio*. Gal. III, 13. *Tertium genus in eo consistit, quod diuinæ proprietates et perfectiones humanæ Christi naturæ tribuuntur*. Et speciatim quidem omniscientia, Io. II, 24. 25. XXI, 17. omnipræsentia, Eph. I, 23. IV, 10. Matth. XVIII, 20. XXVIII, 20. omnipotentia, Matth. XXVIII, 18. potestas remittendi peccata, Matth. IX, 6. I, 21. virtus viuificandi, Io. V, 21. VI, 51. potestas iudiciaria, Io. V, 22. 27. cuius adorationis, Phil. II, 9-11. Vbi notandum, omnes istiusmodi proprietates diuinitati per essentiam, humanitati autem per vnionem personalem competere.

§. IX.

Quod-

nam officium nostrum secundum hanc doctrinam?

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) fidelissimo seruatori nostro pro incarnatione immortales gratias agere; (2) cauere, naturam nostram, quam Christus in hypostasim suam adsumsit, contaminari; nemo; I Cor. VI, 13. (3) cum Christo spiritualiter et mystice vniri, vt in ipso diuina et humana natura personaliter vnite sunt, I Cor. VI, 17.

§. X.

Quid solatii ex hac doctrina

Ex doctrina de humanitate Iesu Christi, eiusque inseparabili et indissolubili conjunctione cum diuina natura fluit *solatium*, (1)

(1) quod vere redempti simus; siquidem ille, ad nos re-
le, qui nos redemit, verus homo, adeoque
eiusdem, cuius nos sumus, naturæ et es-
sentiaë est. 1 Tim. II, 5. 6. (2) Quod Fi-
lius Dei per incarnationem frater noster fa-
ctus sit, qui infirmitatibus nostris adfici
possit, et ad quem, tamquam solum gratiæ,
confidenter accedere nobis liceat, Hebr. II,
11. 17. IV, 15. 16. (3) quod natura nostra
humana hac indissolubili coniunctione cum
diuina natura in Christo summopere nobili-
tata, et ad inenarrabilem dignitatem et glo-
riam supra omnes angelos euecta sit.

CAPVT SECVNDVM

DE

OFFICIO CHRISTI
MEDIATORIO.

§. I.

In meditatione officii Christi mediatorii In officio
pro fundamento habendum est, Iesum Christi
nostrum esse promissum illum et desti- mediato-
natum a Patre seruatore et mediatorem rio quid
mundi, quem omnes prophetae venturum pro fun-
esse in mundum prædixerunt. Proinde quæ damento
stio heic est: Num Iesus Nazareus, cuius dum?
historiam in euangelistis legimus, et quem
adnuntiarunt apostoli, is sit, in quo, tam-
quam Messia et seruatore mundi, plane confi-
dere

dere possimus; an vero cum hodiernis Iudæis alius nobis expectandus?

§. II.

An hæc
veritas
alicuius
momenti
est?

In hac veritate, quod *Iesus Nazarenus* *is ipse sit*, nos confirmandi eamque exemplo Pauli, Act. IX, 22. XIX, 4. et aliorum, c. VIII, 35. XVIII, 28. aduersus contradicentes defendendi causam tanto maiorem habemus, quanto grauioris momenti ea est; quandoquidem fundamentum fidei et salutis nostræ in ea positum est, eiusque sine viuâ cognitione nemo ex Deo natus esse et salutem consequi potest. I Cor. III, 11. I Io. II, 22. V, 1.

§. III.

Vnde hæc
veritas de-
monstra-
tur?

Argumenta, quibus hæc veritas demonstratur, vel expressa apostolorum testimonia sunt; vid. in primis Act. II, 25. sqq. III, 22. sqq. IV, 11. 26. 27. VIII, 32. seqq. vel ex *collatione veteris et noui testamenti* fluunt, dum ex hoc ostenditur, in Iesu nostro ea deprehendi, quæ in illo de Messia fuerunt prædicta, ita quidem, ut in ipso vel iam impleta vel adhuc implenda sint.

§. IV.

Ista argu-
menta
quotupli-
cis gene-
ris?

Sunt autem ista argumenta *duplicis* generis, vel *interna*, ex ipsa Iesu natura et indole petita, vel *externa*, ex rebus extraj ipsum desumpta.

§. V.

§. V.

Quæ prioris generis sunt, in eo consi- Prioris
stunt, quod Iesus Nazarenus talis fuerit ea- generis
que fecerit, qualem Messiam ex diuina or argumen-
dinatione secundum prædictiones vaturn esse ta in quo
et quæ facere oportuit. Huc spectant se- confi-
quentes demonstrationes: stant?

I. Cuius doctrina talis fuit, qualis ex Quænam
prophetarum testimoniis doctrina Messiae demon-
esse debuit; ille verus et a Deo promissus strationes
Messias est. Atqui doctrina Iesu Nazareni huc spe-
talis fuit, qualis doctrina Messiae esse debuit: tant?

Ergo Iesus Nazarenus est verus et a Deo pro-
missus Messias. Nimirum de Messia præ-
dictum fuerat, ipsum euangelium adnun-
tiatum, atque ita doctrinam eius conso-
lationis plenioram futuram, quam Moysi,
si in proprio quidem officio consideretur,
Deut. XVIII, 15. 16. 17. 18. 19. Ies. XLII,
2. 3. L, 4. LXI, 1-3. Id quod in nostrum
seruatorem apte quadrat, quippe qui non
tantum ipse per se, sed per apostolos etiam
suos, talem doctrinam, secundum noui fœ-
deris testimonia, professus est. Matth. XII,
17. 18. 21. Luc. IV, 21. 22. Io. I, 17. VI,
68. Marc. XVI, 15. 16. 20. 2 Cor. V, 20.

II. Qui omnia *miracula* patrauit, quæ
Messias patrare et ex quibus cognosci de-
buit; ille Messias sit, oportet. Atqui Ie-
sus Nazarenus ista miracula omnia (tum
ipse per se, quum mortalis ageret, tum
postea

postea per apostolos suos) patrauit: Ergo Iesus Nazarenus Messias sit, oportet. Quæ de illis miraculis prædicta sint, vid. Ies. XXXV, 3-6. LXI, 1. 2. A Iesu autem, domino nostro, patrata ea esse, adfirmatur Matth. XI, 5. Io. X, 24. 25. XV, 24. XX, 31. XIV, 12. Act. III, 12. 13. 15. 16.

III. Futurum erat, ut Messias propter externam faciem et *formam contemtam* a multis repudiaretur, secundum Ies. LII, 14. LIII, 2-4. Ps. CXVIII, 22. Ies. VIII, 14. Atqui Iesus Nazarenus propter externam faciem et *formam contemtam* (cum ipse, tum in membris suis) a multis repudiatu fuit: Io. I, 11. Luc. XIX, 14. Matth. XXI, 38. 39. 42. Act. IV, 11. Rom. IX, 33. I Petr. II, 6. Ergo Iesus Nazarenus verus a Deo promissus Messias sit, oportet.

IV. Messias, ex tenore totius sacrae scripturae veteris testamenti, pro nobis *mori, sepeliri*, tertia die ex mortuis *resurgere, in celum ascendere, Spiritum sanctum effundere*, et *euangelium* per omnem terrarum orbem *prædicandum* curare debuit. Vide in primis Genes. III, 15. Psalm. XVI. XXII. LXVIII. Ies. LIII. cetera. In Iesu Nazareno hæc omnia testamentibus noui testamenti scripturis, impleta fuerunt: I Cor. XV, 3. 4. Luc. XVIII, 31-34. XXIV, 26. 27. Matth. XII, 39. 40. Act. I, 9-11. II, 1. seqq. Luc. XXIV, 46. 47. Col. I, 5. 6.

§. 6. Ergo verus a Deo promissus Messias sit, oportet.

§. VI.

Posterioris generis argumenta et demon- *Posterioris generis argumenta in quo consistunt?*
strationes potiores sequenti ratiocinio com-
plecti possumus. Messias ille, qui ita est
comparatus, quemadmodum in prioris ge-
neris argumentis §. V. ostensum est, ex stir-
pe Davidis nasci debuit, 2 Sam. VII, 12. Ier.
XXIII, 5. 6. Matth. XXII, 42. et quidem
Bethlehemi in Iudæa, Mich. V, 1. Matth.
II, 6. republica iudaica iam collapsa, Gen.
XLIX, 10. stante adhuc templo secundo,
hoc est, eo, quod post reditum ex captivitate
Babylonica exstructum erat, Hagg. II,
8. Mal. III, 1. et intra LXX hebdomades,
populo iudaico Dan. IX, 24. destinatas.
Atqui Iesus Nazarenus natus est ex stirpe Da-
vidis, Luc. II, 4. republica iudaica iam
collapsa, com. 1. 2. stante adhuc templo
secundo, Luc. II, 22. 46. et LXX hebdo-
madibus Danielis ferme præteritis. Ergo
Iesus Nazarenus est verus a Deo promissus
Messias; quandoquidem promissiones Dei
non fallunt, nec quisquam alius in uniuerso
terrarum orbe ostendi potest, in quo
hæc omnia deprehensa fuerint aut depre-
hendantur.

§. VII.

Neque vero satis est, hanc veritatem *Quid de*
ex prolatis in medium argumentis ratione adlatis ar-
com-

gumentis comprehendere, aut aduersus Iudæos ad lit-
 adhuc no- teram tueri; sed, vti reliquæ veritates
 tandum omnes, ex verbo Dei in ordine pœni-
 est? tentiæ ac fidei, illustrante in nobis Chri-
 stum Spiritu sancto, cognoscenda, obli-
 gnanda et confirmanda est: siquidem nemo
 est, qui Dominum possit Iesum dicere, nisi
 per Spiritum sanctum, 1 Cor. XII, 3. Matth.
 XVI, 16. 17. Io. III, 33. VII, 17. XVI,
 14. XVII, 8. 2 Cor. IV, 6.

§. VIII.

Officium nostrum secundum hanc do-
 ctrinam est, (1) in gratia ac merito Iesu
 Quod- nostri, vnius mediatoris et seruatoris mun-
 nam heic di, confidere, nec alium expectare, 1 Petr.
 nostrum officium? II, 6. 7. (2) in aliorum ad salutem institu-
 tione hunc Iesum, tanquam Christum, vni-
 cum fundamentum iacere; atque, omnium
 seruorum Dei exemplo in veteri ac nouo tes-
 tamento, ad ipsum solum, quod sit Domi-
 nus, eos remittere, Act. X, 43. Io. I, 8. 9.
 15. 16. 17. 20. 27. 29 - 36. III, 27 - 36.
 Matth. XI, 2. 3. 1 Cor. I, 23. II, 2. III,
 10. 11. 2 Cor. IV, 5. (3) vestigia huius Ie-
 su premere, eique libenti animo parere, at-
 que hoc ipso demonstrare, nos vere in eum
 credere, Phil. II, 5. 1 Petr. II, 21. Marc.
 VIII, 34. Matth. XXII, 5. (4) in humili
 ac contempta eius forma non offendere,
 Matth. XI, 6. 1 Petr. II, 7. (5) gloriæ ac
 maiestatis ipsius patefactionem sub spe et pa-
 tien-

rientia expectare, eaque animum nostrum, quacumque calamitate et vexatione fractum atque adflictum, erigere ac recreare, 1 Thess. IV, 15 - 18.

§. IX.

Solacium, quod ex hac doctrina fluit, Quod est, (1) quod fides nostra, beneficio Dei in hac veritate fundata, firma persistat, Aet. IV, 12. (2) quod nunc propius nos sit salus, quam tum, quum credidimus eamque futuram expectauimus, Rom. XIII, 11. Luc. X, 23. 24. 2 Cor. VI, 2. (3) quod, ut memorati Messiae characteres in Iesu nostro deprehensi fuerunt, ita futurum sit, ut et reliqua de Messia eiusque gloria in sacris litteris promissa non minus constituto diuinitus tempore impleantur. Luc. XVIII, 31. Ies. XXXIV, 16.

§. X.

Officium Christi mediatorium tria complectitur, *propheticum*, *sacerdotale* et *regium*.

Officium Christi mediatorium quot completur?

§. XI.

Si queras, *quis* sit propheta noster; idem ille est, quem supra demonstraui noster esse verum Messiam, nimirum IESVS CHRISTVS. Hic magnus ille propheta est, qui ex diuino promisso (Deut. XVIII, 18.) in mundum venire debuit, Aet. III, 22. quem Iehoua suo tempore misit, et officio suo, *ter* separatis temporibus publice declaratum,

E

raturum,

ratum, quasi initiauit, Matth. III, 17. XVII, 5. Io. XII, 28. Qui uti diuinam et humanam naturam habet, ita secundum vtramque propheta noster est. Secundum *humanam* quidem naturam ad hoc officium Spiritu sancto vnctus fuit sine modo, Ies. LXI, 1. Luc. IV, 18. 21. linguaque et voce sua humana docuit, Matth. V, 1. sqq. in primis *diuinæ* naturæ id tribuendum est, quod Patris sui voluntatem exposuit ac patefecit, Io. I, 18. Matth. XI, 27. et verbo vim atque efficaciam indidit. Marc. XVI, 20.

§. XII.

Officium
Christi
propheti-
cum ad
quosnam
spectat?

Ceterum hic Iesus noster *vniversalis* propheta est, eiusque officium propheti- cum ad omnes omnino homines spectat: nam vera lux est, quæ collustrat omnem hominem, veniens in mundum, Io. I, 9. Quamquam enim, quod ad visibilem muneris prophetici administrationem attinet, ad solos Iudæos missus fuit, Matth. XV, 24; per discipulos tamen suos in vniuerso terrarum orbe illud continuauit, vitæque correctionem et peccatorum veniam per omnes gentes prædicari iussit, Luc. XXIV, 47.

§. XIII.

Munia of-
ficii pro-
phetici
quomodo
confidera-
ri pos-
sunt?

Munia officii prophetici duplici modo considerari possunt, (1) *generatim*, in eo sita, quod diuinam voluntatem exposuit Io. I, 18. XII, 50. Hebr. I, 1. cum legis, Matth. V. VI. VII. tum maxime euangelii, Io.

Io. I, 17. (2) *speciatim*, et quidem (α) quum Christus in *terra* versaretur, vbi euangelistæ ipsum magna cum potestate et ἐνεργείᾳ Matth. VII, 29. Io. VI, 63. VII, 46. et quidem palam, Io. XVIII, 20. multa cum libertate et reprehensione mali, Matth. XXIII. cum ob signatione per miracula, c. XI, 5. sanctæ vitæ exemplo Io. VIII, 46. nec non prædicatione multarum rerum futurarum, Luc. XIX, 42. seqq. Matth. XXIV, 25. docuisse perhibent. (β) Postquam in *gloriam ingressus* est, quo spectat, quod ministerium ecclesiasticum instituit, per illudque efficaciter operatur, 2 Cor. V, 19. Rom. I, 5. Eph. IV, 11. Act. XXVI, 18. et per Spiritum suum beneficio verbi in animis credentium in se docet eosque veritate sua sanctificat et ob signat. 1 Io. II, 20. 27. Io. III, 33. XVI, 13.

§. XIV.

Officium nostrum est, (1) Christum Quod-
vnicum nostrum doctorem et magistrum nam offici-
um no-
agnoscere, Matth. XXIII, 10. (2) ipsi dicto-
audientes esse, Matth. XVII, 5. Deut. XVIII, strum hac
in re?
15. et Spiritus sui operationi, qua nos il-
luminare vult et sanctificare, non resistere,
Prou. I, 5. Hebr. II, 1. sqq.

§. XV.

Solatium nostrum ex hac doctrina hoc Quod-
est: Christus non solum tamquam sacerdos nam inde
solatium?
salutem nobis acquisiuit; sed etiam tam-
quam propheta viam, qua ad eam perue-
niamus,

niamus, commonstrare nobis vult, ex quo ipsius amor erga nos et desiderium salutis nostræ clare elucet. Vnde non omittet per Spiritum suum sanctum beneficio verbi nos instituere et docere, petentes a se. 1 Io. II, 20. 27.

§. XVI.

Sacerdos
noster
quis?

Idem ille Iesus, qui propheta, *sacerdos* etiam noster est, et quidem secundum utramque naturam, diuinam atque humanam. *Humana* quidem natura omnes perpeſsiones sustinuit, susceptis in hunc finem infirmitatibus nostris, sine tamen peccato, Hebr. II, 17. 18. IV, 15. 1 Petr. II, 24. *Diuina* autem, etsi in se non passa est, passioni tamen et morti Christi infinitum pondus et valorem addidit, vt humani generis peccata hoc modo expiari potuerint, diuinæque iustitiæ satisfieri. Ad hoc officium Christus ab ipso Deo, quemadmodum Aaron in veteri testamento, vocatus fuit, Hebr. V, 4. 5. 6. qua in re Christus hanc habet prærogatiuam, quod cum iureiurando sacerdos factus est; quum contra Aaron eiusque successores sine iureiurando sacerdotes facti sint. c. VII, 20. 21. Quo loco etiam sacerdos ad rationem Melchisedechi vocatur; vt significetur, ipsum nobis esse vnum solum sacerdotem, qui similem sui ante se haud habuerit, nec, quum daret in sempiternum, necesse habeat sacerdotio alteri cedere.

cedere. c. VII, 1. *LUTHERVS* Conc. in Gen. XIV. Tom. IV. Alt. fol. 100. b. „*Hoc*
 „*sacerdotium ab isto tempore, quo mundus*
 „*cæpit, ad finem usque durat. Per hunc sa-*
 „*cerdotem Adamo et Eua absolutio impertiri*
 „*debet, et impertienda est nouissimo omnium*
 „*christiano, qui adhuc nascetur. Aeterna*
 „*persona est, in omnia manens sæcula.*”
 Accedit, quod sanctitate et innocentia veteris testamenti sacerdotibus infinite antecellat, dum illi pro suis etiam ipsorum peccatis victimas libare necesse habuerunt, hic vero, quia omnino sanctus et vitii expers fuit, pro aliorum tantum peccatis fecit sacrificium, Hebr. VII, 26. 27.

§. XVII.

Hoc Christi officium sacerdotale ad *Officium*
omnes omnino homines attinet; siquidem ser- *Christi sa-*
 uator noster omnium mortalium peccata *cerdotale*
 peccatorumque pœnas in se recepit, Io. I, *ad quos*
 29. 1 Petr. II, 24. Ies. LIII, 6. Rom. XV, 3. *spectat?*
 pro omnibus sanguinem liberationis pre-
 tium dedit, 1 Tim. II, 6. Matth. XX, 28.
 coll. Leuit. XXV, 25. 26. illosque eo ipso
 redemit et vindicauit, Gal. III, 13. IV, 5.
 2 Petr. II, 1. Luc. I, 68. Hebr. II, 15. Deo
 reconciliauit, 2 Cor. V, 19. 1 Io. II, 2. Col.
 I, 21. 22. iustitiam et vitam æternam omni-
 bus acquisiuit, Rom. V, 18. sqq. Dan. IX,
 24. 2 Tim. I, 10. Nemo tamen fructum
 officii eius sacerdotalis percipit, nisi in or-

dine veræ pœnitentiæ et fidei. Luc. XXIV, 46. 47. Io. III, 16.

§. XVIII.

Munia
huius of-
ficii qua-
nam in re
confi-
stunt?

Munia autem eius his tribus partibus absoluuntur: (1) *oblatione*, (2) *intercessione*, et (3) *benedictione*, sicut in veteri etiam testamento munia sacerdotii Aaronis et successorum eius in his tribus potissimum posita fuerunt. Hebr. VIII, 3. Exod. XXX, 7. 8. Sap. XVIII, 21. Num. VI, 23.

§. XIX.

De sacrifi-
cio sacer-
dotis no-
stri quid
notan-
dum?

Sacrificium Christi sacrificiorum typicorum veteris testamenti *impletio* et antitypus est, adeoque tanto melius ac præstantius, quam fuerunt ista, Hebr. VIII, 5. IX, 9. coll. com. 13. 23. 24. et X, 1. sqq. Apoc. XIII, 8. quæ tantum beneficio et virtute sacrificii a Christo, quum plenum tempus aduenisset, faciendi, mortalibus in veteri testamento profuerunt. Sacrificium vero Christi a typicis istis sacrificiis præcipue in hoc discrepat, quod, quum illorum sanguis pollutos ad corporis tantummodo puritatem lustrarit, e contrario sanguis Christi libatus conscientias purget a mortuis operibus ad colendum Deum viuum, Hebr. IX, 13. 14. Et quum illa sæpius repeti, hoc *semel* tantum fieri oportuit, Hebr. VII, 27. X, 10. IX, 25. 26. Rom. VI, 10. Præterea, quum illic (in veteri testamento) sacrificium

a sa-

a sacrificante esset distinctam, Christus contra se ipsum obtulit hostiam, Hebr. I, 3. X, 12. Eph. V, 2. ubi per omnem vitam variis perpeſſionibus, et tandem morti sponte se subiecit, Io. X, 18. Phil. II, 8. nec ad sua, sed ad totius generis humani peccata expianda caelesti Patri victimam sese praeſtuit, 1 Petr. II, 24. Ps. XL, 7-9. quo ipso etiam pro omnibus ac singulis satisfecit, aeternamque liberationem adeptus est, Rom. III, 24. 2 Cor. V, 14. Hebr. IX, 12. 1. c. LIII, 6. 1. c. LV-
THERVS Conc. in Ps. CX. Tom. VII. Alt. fol. 368. b. „Iſto sacrificio ſemel perſunctus
 „eſt pro totius mundi peccatis per mortem
 „ſuam in cruce, quae altare fuit, in quo vi-
 „ſcentem illam et ſacram corporis et ſanguinis
 „ſui hoſtiam Deo Patri cum precibus et ſuppli-
 „cationibus, cum vehementi queſtu et lacrimis
 „acerbiſſimis immolauit, immenſique amoris
 „igne, ex animo eius erumpente, conſumſit.
 „Hoc verum ſacrificium eſt, quod omnium
 „mortalium peccata vno atque eodem tempore
 „penitus tollit et abolet, aeternamque recon-
 „ciliationem et veniam adfert. Id quod
 „ſummis laudibus praedicandum atque extol-
 „lendum eſt. „

§. XX.

Interceſſio Chriſti, tamquam ſacerdo- De inter-
 tis, facta eſt, ſicuti ſacrificium eius, pro ceſſione
 omnibus quidem hominibus, hoc tamen cum Chriſti
 diſcrimine, vt impiis reſiſcentiam, ſideli- quid tra-
 bus dit ſcri-
 ptura?

bus autem constantiam et accessionem fidei ac sanctimoniam orauerit, Ies. LIII, 11. 12. Luc. XXII, 32. XXIII, 34. Io. XVII, 9. 11. 15. 17. 20. seqq. Hebr. V, 7. Quam in rem etiam nunc officio sacerdotali fungitur, quamuis in gloriam suam iam ingressus, Hebr. IX, 24. VII, 25. I Io. II, 1. Rom. VIII, 34. Veruntamen ista intercessio non amplius ab eo fit in humili serui forma, quemadmodum facta est in terra, sed ratione quadam, maiestati ipsius conueniente, latente autem et inenarrabili. *LUTHERVS* l. c. fol. 369. a. „*Quamquam satis est, Christus semel esse libatum pro totius mundi peccatis ad nouissimum usque diem; tamen, quia adhuc semper peccato et infirmitate constrictamur, sine intermissione pro nobis apud Patrem intercedat necesse est, ne illud nobis peccatum et infirmitas imputetur, contra ea Spiritus sancti robur et virtus donetur. Ideo enim in celum adscendit et consedit ad dextram Patris, ut per suam intercessionem nos in gratia ac fauore Dei aeternum conseruet, vires item et victoriam aduersus peccati terrores, diaboli, mundi, et carnis tentationes nobis largiatur.* „

§. XXI.

Benedictio Christi quid?

Benedictio summi sacerdotis nostri potissimum posita est in applicatione omnium thesaurorum gratiae, quibus ad salutem egemus: quo in primis Spiritus sanctus cum omni-

omnibus dotibus et operationibus suis referendus est, Aët. III, 26. Gal. III, 8. 9. 14. Eph. I, 3.

§. XXII.

Officium nostrum est, (1) huic serua- Quod-
tori nostro pro officio mediatorio immorta- nam offi-
les gratias et agere et habere, ac diuini et cium no-
flagrantis amoris eius, qui ex illo elucet, strum se-
cognitione fidem nostram corroborare; (2) cundum
per solum sacerdotem nostrum ipsiusque sa- hanc do-
crificium pro nobis præstitum peccatorum strinam?
veniam a Deo petere, omniaque nostra pre-
cum et laudum sacrificia, quæ tamquam
noui fœderis sacerdotes facimus, in hoc offi-
cio et sancta intercessione ipsius fundare, Io.
XIV, 13. 14. Hebr. X, 19 - 22. XIII, 15. et (3)
ipsius ad exemplum alios pro aliis supplicare,
variisque spiritualibus ac corporalibus benefi-
ciis nos inuicem adficere, 1 Tim. II, 1. 1 Petr.
III, 9. et tandem (4) pro fratribus animas
ponere, quemadmodum ille pro nobis ani-
mam suam posuit, 1 Io. III, 16. Rom. IX, 3.
Col. I, 24. 2 Tim. II, 10.

§. XXIII.

Solatium, quod fideles ex Christi offi- Quod-
cio sacerdotali habent, est, (1) quod de ab- nam sola-
soluta peccatorum venia certi esse possint, tium fide-
(2) quod Pater cælestis propter huius fidi les hinc
ac misericordis sacerdotis intercessionem, habent?
in satisfactione atque efficacissimo merito
suo fundatam, adherentes eis nauos et in-

firmitates patienter toleraturus nec ipsis imputaturus sit; dummodo fusi sanguinis virtute sese ipsos ab illis magis atque magis purgare studeant. Rom. VIII, 1. 1 Io. I, 7. 2 Cor. VII, 1. (3) Quod nec in hoc tempore, nec æternum vlllo bono carituri sint, quia Christus factus est eis benedictio, (4) quod Christus sanguine suo eos fecerit Deo sacerdotes ipsorumque hostias spirituales omnes per se ipsum Patri gratas efficiat, Apoc. I, 6. V, 10. 1 Petr. II, 5. 9.

§. XXIV.

Num
Christus
etiam rex
est?

Denique Christus etiam rex est, Io. I, 49. XVIII, 37. Apoc. XIX, 16. itidem secundum utramque naturam. *Divine* quidem regia dignitas competit ex generatione æterna a Patre, Ps. II, 6. 7. Io. XVI, 15. et creatione ac conseruatione rerum omnium, Io. I, 3. Hebr. I, 3. *Humane* ex vnione personali. Notandum tamen est, quod secundum hanc naturam plenum regie dignitatis exercitium in statu demum exaltationis, posteaquam ad dextram maiestatis in sublimi confedit, ingressus sit, Eph. I, 20. 21. 22. Phil. II, 9. 10. 11. tamen si ius et ipsum dominium iam a conceptione et natiuitate habuit, eiusque radios quosdam passim exseruit. vid. Luc. I, 43. Io. XVIII, 37. XIX, 19. Ceterum regium hoc officium perinde ac propheticum et sacerdotale a Patre suo adeptus est, quippe qui eum regem creauit atque

que vnxit, Psalm. II, 6. 7. LXXXIX, 28.
Luc. XXII, 29.

§. XXV.

Regnum Christi regis nostri pro œcono- Regnum
miæ et subiectorum diuersitate *triplex* est, Christi-
potentie siue *naturæ*, *gratiæ* et *gloriæ*. quotu-
plex?

§. XXVI.

Regnum potencie siue *naturæ* est, quo Regnum
omnes in vniuersum res creatæ Christo sub- potentiæ
iectæ sunt, et ipse earum dominus est, eas quid?
conseruat et gubernat, ita vt sine ipso nihil
sint et nihil possint facere, Matth. XXVIII,
18. Eph. I, 21. In hoc regno *subditi* sunt res
omnes creatæ, Pf. VIII, 7. XXIV, 1. CX, 1.

§. XXVII.

Regnum gratiæ in eo consistit, quod Regnum
Christus sibi in hac terra aliquem cœrum, gratiæ in
postquam sanguine eum acquisiuit, per ver- quo con-
bum et sacramenta colligit, Pf. CX, 3. Rom. sistit?
I, 5. Matth. XXVIII, 19. a regno tenebra-
rum defendit ac protegit, c. XVI, 18. XXVIII,
20. Pf. II, 3. 4. vid. Exod. I, 12. variis bonis
spiritualibus, ad quæ tam administrantia
quam sanctificantia dona spectant, cumulate
ornat atque explet, 1 Cor. XII, 4. 12. Rom. XII,
3. 4. sqq. Eph. IV, 7. 8. 15. 16. 2 Tim. I, 7.
adeoque hoc regnum non terrestri ac munda-
na, sed cœlesti ac spiritali ratione constituit
et administrat, Io. XVIII, 36. *Subditi* in hoc
regno sunt omnes vere fideles, vtpote in
quibus singulis Christus regnum suum ha-
bet,

bet, Rom. XIV, 17. viuit, Gal. II, 20. Col. III, 4. peccatumque, mundum ac diabolum in illis et per illos deuincit, Rom. VI, 12. VIII, 37. 2 Cor. X, 4. 1 Io. IV, 4. V, 4. vnde regium sacerdotium vocantur, 1 Petr. II, 9.

§. XXVIII.

Regnum
gloriae
quid?

Regnum *gloriae* est, quod Iesus Christus laetus victoria in caelum adscendens occupauit, in quo iam viuit ac regnat, quod aliquando etiam, deletis hostibus suis, patefaciet, in eo ecclesiam triumphantem moderabitur, cum ea gloriosissime et magnificentissime regnabit, atque aeterna illam gloria et salute replebit, Luc. XIX, 12. XXIV, 26. Hebr. II, 5. 8. X, 13. Apoc. XII, 10. XIX, 6. XX, 1-6. Hoc regnum alias variis iucundis nominibus appellatur, e. g. σαββατισμός, sabbatismus, Hebr. IV, 9. tempus recreationis, Act. III, 20. aetas, Luc. XXI, 30. 31. Cant. II, 11-13. cena nuptiarum Agni, Apoc. XIX, 7. 9. cet. *Subditi* in hoc regno sunt omnes homines beati atque electi, qui in regno gratiae Christo fidem habuerunt, ipsiusque sanctificationis ac perpeffionum participes facti sunt, Luc. XVI, 22. XXII, 28. 29. 30. XXIII, 43. 2 Petr. I, 8. II. 2 Tim. II, 11. 12. 2 Theff. I, 4. 5. 6. 7. Apoc. III, 21. VII, 13-17. XX, 4.

§. XXIX.

§. XXIX.

Officium nostrum secundum hanc doctrinam est, (1) Christum, morem ei gerendo, confiteri regem ac dominum nostrum, Pf. II, 10-12. (2) Quemadmodum ipse non est mundanus, nec regnum eius mundanum; ita nec nos, qui ciues eius esse cupimus, mundanos esse decet, Rom. XII, 1. 2. Io. XVII, 14. (3) Quum a Christo facti simus reges, id eo demonstrare debemus, quod diabolo, mundo et carni non permitamus in nos dominium, sed omnes eorum tentationes, illecebras et lenocinia regio Christi spiritu superemus et vincamus. vid. supra §. XXVII.

§. XXX.

Solacium, quod ex regio Christi officio reportant fideles, est, (1) quod non habeant, quem metuant, a Christo autem, magnificando rege suo, praesidium propitiumque regimen sibi promittere possint, Ies. VIII, 9. 10. (2) quod virtute, qua ipse viuit ac regnat, hostes etiam suos spirituales vnuerfos superare valeant, in eosque dominari, Rom. VI, 14. VIII, 37. 1 Io. V, 4. Eph. VI, 12. seqq. (3) quod finito fidei certamine, quod ad animam, in regnum eius transferantur, Luc. XVI, 23. XXII, 28. 29. 30. XXIII, 43. 2 Cor. V, 1. seqq. (4) quod in patefaciendo regno gloriae non tantum ciues eius futuri, sed cum Christo etiam

Quodnam officium nostrum secundum hanc doctrinam?

Quodnam solacium?

etiam

etiam rege suo imperaturi ac regnaturi sint,
vid. supra §. XXVIII.

CAPVT TERTIVM

DE

DVPLICI STATV CHRISTI,
EXINANITIONIS ET EXAL-
TATIONIS.

§. I.

Exinani- **S**tatus *exinanitionis* Christi accuratissime
tio Christi omnium describitur Phil. II, 6. 7. 8. se-
qua in re cundum quod dictum natura istius ex-
fita fuit? inanitionis in his duabus partibus sita fuit:

(1) In *abdicatione* plenarii vsus *diuinae*
formae, hoc est, diuinarum proprietatum,
ab ipso temporis puncto, quo in utero Ma-
riae virginis conceptus est, iure alioquin ei
competentium, ab ipsoque re ipsa semper
retentatum. Neque vero eas rapinae loco
habuit, aut de iisdem in hominum conspe-
ctu magnifice se iactauit, sed se ipsum ex-
inaniuit. Ita se abiunxit ab omniscientia,
Marc. XI, 13. XIII, 32. omnipotentia, 2 Cor.
XIII, 4. diuitiis et possessione alicuius rei
propriae, quamuis esset caeli et terrae domi-
nus. 2 Cor. VIII, 9. Matth. VIII, 20. LV-
THERVS in Io. XVIII. Tom. IV. Alt. fol.
645. a. „Homines nequissimi, improbissimi
„Deoque inimicissimi Hierosolymis domicilia
„habent et cubicula repagulis clausa, at Dei
„filius

„filius extra portas ruri et forte sub quadam
 „arbore, quasi in diuersorio et cubiculo, re-
 „quiescere necesse habet, quemadmodum ipse
 „dicit Matth. VIII., Verumtamen maiesta-
 „tesua et diuinis proprietatibus subinde ali-
 „qua ex parte vsus est, quod radios vocant,
 quos quasi ex densa exinanitionis nube emi-
 sit. Ita legimus de vsu omniscientiæ Matth.
 IX, 4. XVII, 27. Io. II, 25. omnipotentia,
 de qua omnia in vniuersum miracula eius,
 in primis mortuorum resuscitatio, testantur.
 vid. etiam Matth. XVII, 1. seqq.

(2) *In adsumptione formæ seruilis*, quā omni-
 bus sese seruum præstitit, Matth. XX, 28.
 Io. XIII, 13. immo obediens fuit Patri vsque
 ad mortem, et quidem mortem crucis, quod
 ignominiosissimum mortis genus et seruile
 supplicium erat, nec adeo profundior ali-
 qua humiliatio fieri poterat. Gal. III, 13.
 LUTHERVS in Io. I. Tom. VI. Alt. fol.
 1204. b. „Non est vlla maior seruitus, quam
 „quod Dei Filius vniuscuiusque hominis, vt
 „inops, miser et contemptus est, seruus fit
 „eiusque peccata tollit.“

§. II.

Fundamentum et ratio huius exinanitionis Quod-
 nis quærenda est in lapsu nostro, et in gra- nam fun-
 uissime læsa per hunc lapsum diuina iustitia, damentum
 cui Christum, postquam nos diuinam glo- rum et ra-
 riam inhiauiimus, per abdicationem eius sa- tio est hu-
 tisfacere oportuit, si cum Deo reconciliari nitionis?

æter-

æternumque feruari deberemus. Gen: III, 5. 6. 2 Cor. VIII, 9. Ies. LIII, 5.

§. III.

Quinam
gradus
exinaniti-
onis?

Exinanitio Christi secundum certos gradus considerari potest, adeoque complectitur (1) *conceptionem* et *natiuitatem*, in qua plures circumstantiæ deprehensæ, in quibus eam aliquid abiecti habuisse, ex Matth. I. et Luc. II. videre est. De spiritali eius applicatione vide Matth. XII, 50. Gal. IV, 19. (2) *Pueritiam* et *iuuentutem*. *LUTHERVS* Tom. VI. Alt. fol. 1155. b. „Vixit, uti homo quispiam alius; ad tricesimum usque ætatis annum apud Mariam matrem fuit, uti mos est liberorum. Puer gessit se puerum, similiter atque puer quisquam alius, parentibus morigerus fuit, fecit, quæ præceperunt, Luc. II, 51.” (3) *Passionem* sub Pontio Pilato, ad quam præludii instar vniuersa eius vita referenda est, quæ ab utero matris ad mortem usque non nisi ærumnosa et misera fuit. Spiritualis eius applicatio ostenditur 1 Petr. II, 21. IV, 1. (4) *Crucifixionem*, ubi factus est pro nobis execratio de patibulo suspensus, Gal. III, 13. *LUTHERVS* Comment. in Gal. III. Tom. V. Witteb. fol. 348. b. (Tom. VI. Alt. fol. 698. a.) „Quia omnis latro secundum legem suspendi debuit, debuit et Christus ipse secundum legem Moysi suspendi, quia gessit personam peccatoris et latronis, non vnius, sed omnium peccatorum

„*rum et latronum.*„ Quid ista crucifixio in nobis efficere debeat, vid. Rom. VI, 6. Gal. V, 24. VI, 14. (5) Mortem in cruce, quam Dominus, tamquam stipendiam peccati, quod baiulabat, pati pro nobis debuit, Hebr. II, 9. coll. Io. XI, 49. 52. et XVIII, 8. Ion. I, 11. 12. 14. 15. Gen. XXII, 13. *LV-THERVS* Comment. in Gal. II. Tom. V. Witteb. fol. 316. a. (Tom. VI. Alt. fol. 620. a.) „*Quum remorsum conscientiae propter peccatum sentio, serpentem illum aeneum, Christum in cruce, adspicio, ibi peccatum aliud inuenio contra meum peccatum, quod me accusat et deuorat. Peccatum vero aliud, scilicet in carne Christi, quod tollit peccatum totius mundi, omnipotens est, damnat ac deuorat peccatum meum. Ita peccatum meum, ne me accuset et damnet, damnatum est per peccatum, id est, per Christum crucifixum, qui factus est pro nobis peccatum, ut iustitia Dei per illum fieremus. Sic mortem in carne mea inuenio, quae me adfligit et occidit, sed habeo contrariam mortem, quae est mors mortis meae, ea crucifigit et deuorat ipsam.*„ (6) Sepulturam, ideo factam, ut tum mortis eius veritas testata fieret, tum sepulcra nostra sanctificarentur: qui vltimus et infimus fuit exinanitionis gradus. De horum posteriorum graduum, mortis videlicet et sepulturae, virtute in spiritali applicatione vid. Rom. VI, 1. seqq.

§. IV.

Quod-
nam hac
in re offi-
cium no-
strum?

Officium nostrum est, (1) ex profunda Christi exinanitione grauitatem et turpitudinem lapsus nostri animo demissio agnosce- re. (2) Exemplo eius cupere esse viles, humiles et contemptos in hoc mundo, in ea- que re mentis nostræ cum mente Christi conuenientiam demonstrare, Rom. VIII, 29. XII, 16. Matth. XX, 26-28. Phil. II, 3. 5. Hebr. XII, 24-26. coll. c. XII, 2. XIII, 13. LVTHERVS in Pl. CXXVI. Tom. III. Wit- teb. fol. 544. b. (Tom. VII. Alt. fol. 554. b.) „Quisquis proficitur, se baptizatum esse et „censeri nomine Christi gaudet, statuat, se „non esse meliorem Christo, Domino suo. „Oportet enim conformes fieri imagini Filii „Dei. Si Christus gestauit spineam coronam, „non speremus, futurum, vt nostro capiti „serta et rose imponantur., (3) Eo contem- dere, vt quemadmodum Christus omnium hominum seruus factus est, ita et nos ipsum imitantes omnium hominum serui fiamus, omnesque acceptas vires et dotes in rem et commodum aliorum conuertamus, Rom. XV, 1-3. 1 Cor. IX, 19.

§. V.

Quod-
nam sola-
tium?

Solacium ex hac doctrina est, (1) quod per seruatoris nostri, tamquam secundi Adami, profundam humiliationem fastus primi Adami, in quo omnes peccauimus, perfecte expiatus, et diuinæ iustitiæ hoc ipso

ipſo cumulatiſſime ſatiſfactum ſit, Rom. V, 18. 19. (2) quod per ignominiam ſuam nobis honorem repararit, et id iuris acquiſierit, vt cum ipſo coram Deo et Patre ſuo æternum exaltemur, 2 Cor. VIII, 9. (3) quod omnes adſtictiones huius ſæculi, paupertatem, contumeliam et contemtionem, immo ipſam mortem hoc ipſo nobis leuauerit et ſanctificauerit, Rom. VIII, 29. Io. XV, 20. (4) quod ſub cruce, ignominia et contemtionem imaginis Chriſti conſimiles reddamur, qui hiſce etiam perpeſſionibus noſtris adſci, in illiſque nos conſolari et erigere poteſt, Rom. VIII, 29. Hebr. IV, 15.

§. VI.

Ad ſtatum exultationis Chriſti ſpectat, *Exaltatio Chriſti qua in re conſiſtit?*
 (1) quod Chriſtus *inſirmitates*, quas noſtra cauſa adſumſerat, *depoſuit*, non amplius morti obnoxius, Ieſ. LIII, 8. Rom. VI, 9. Hebr. VII, 25. (2) quod pleniffimum maiſtatis ac gloriæ diuinæ uſum, quo ſe in ſtatu exinanitionis libere abdicauerat, reſumſit, ſupra omnia exaltatus, Matth. XXVIII, 18. Phil. II, 9. 10. 11. Eph. I, 20. 23. 1 Petr. III, 22. (3) quod gloriam iſtam ſuam aliquando coram mundo patefacturus eſt, ſolus extollendus. Col. III, 3. 4. Hebr. II, 8. et X, 12. 13. Ieſ. II, 11. ſeqq. Pſalm. LXXII, 8 - 19. XCVI. XCVII. XCVIII. XCIX.

§. VII.

Quodnam fun-
damentum et ra-
tio exalta-
tionis
Christi?

Fundamentum et ratio magnæ illius gloriæ, ad quam homo Iesus Christus euectus est, in eo sita est, quod seruator nobis opus erat, qui non solum salutem nobis acquireret, sed re ipsa etiam conferret, quod facere non potuisset, si mansisset mortuus et corruptionem esset passus. Rom. IV, 25. 1 Cor. XV, 14.

§. VIII.

Quinam
gradus
exaltatio-
nis?

*Gradus exaltationis Christi sunt (1) Descensio ad inferos, 1 Petr. III, 18-20. Eph. IV, 9. 10. LUTHERVS in Artic. II. symbol. apostol. Tom. VI. Alt. fol. 82. a. „Hoc præcipuum momentum, hæc utilitas et virtus præcipua est, quam hinc percipimus, et quam de descensione Christi ad inferos credere nos oportet, quod neque orcus, neque diabolus me aliosue, in eum credentes, captiuos ducturi aut lesuri sint.“ (2) Vera resurrectio a mortuis, cuius historia apud euangelistas legenda et secundum circumstantias suas ponderanda est. Quemadmodum autem virtutem et efficaciam suam in nobis etiam exferre debeat, vid. Rom. VI, 4. Col. II, 12. III, 1. Eph. II, 4-6. LUTHERVS Conc. in Col. III, 1. sq. Postill. Eccles. Tom. XIII. Lips. fol. 526. b. „Si in hac concione vere gloriarı et solatium inde reportare cupis, quod Christus morte ac resurrectione sua tibi opitulatus sit, non perseuerare debes in anti-
„qua*

„qua vitiositate, sed nouam quasi cutem in-
 „duere. Nam mors et resurrectio eius facta
 „est ideo, ut tandem tu quoque una cum ipso
 „huic mundo demoriaris et resurrectioni ipsius
 „similis euadas, hoc est, ut nouus homo fieri
 „incipias, quemadmodum ipse supra in celo.,
 (3) Adscensio in celos, de qua in scriptis
 euangelistarum et apostolorum actibus lege-
 re est. Hæc in nobis spiritualiter ira debet
 fieri, ut cum Christo in cælestibus colloce-
 mur, hoc est, per Spiritum ipsius discamus
 cælestia sapere. Vid. Col. III, 1. 2. Eph. II,
 6. Phil. III, 13. 14. 20. Quemadmodum
 fidem nostram ex adscensione Christi corro-
 borare debeamus, docet LUTHERVS Serm.
 in adscens. Christ. Tom. VIII. Alt. fol. 925. a.
 „Sedentibus, inquit, ad ianuam inimicis
 „meis et me interficere cogitantibus, fides mea
 „sic ratiocinatur: Christus in celum adscendit,
 „omniumque rerum creaturarum dominus fa-
 „ctus est; ergo et inimici mei ipsi subiecti sunt,
 „oportet. Vnde in eorum potestate non est,
 „ut me ledant, immo vel digitum mouere,
 „vel vnum capillorum meorum vellicare au-
 „deant, si pote, sine voluntate Christi! Hoc
 „si fides apprehendit et in isto articulo stat,
 „bene stat, animosa fit et secura, ut hunc in
 „modum disputet: Si dominus meus me ab
 „illis voluerit occidi, occidar, et hinc demigro.
 „Vides igitur, ipsum in celos adscendisse, non
 „ut ibi pro se ipso sedeat, sed ut ibi regat

„omnia nostro bono, ut consolationem et la-
 „titiam inde percipiamus.“ (4) Sessio ad
 dextram Dei Patris, qui veram et effica-
 cem eius praesentiam etiam secundum hu-
 manam naturam apud nos haud tollit.
 Psalm. XVI, 11. CX, 1. Hebr. I, 3. Rom.
 VIII, 34. Ephes. IV, 10. Matth. XXVIII,
 20. *LUTHERVS* in Psalm. CX. Tom.
 VII. Alt. fol. 330. b. „Non ait: Dixit
 „Iehoua, sede in solio Davidis, siue esto meus
 „(Davidis) heres; sed ait: Sede ad dextram
 „meam. Hoc sane vno solo verbo signifi-
 „cat, ipsum summopere esse exaltatum, et
 „splendidissimum regem creatum, non qui-
 „dem in miseram arcem Hierosolymorum,
 „nec in imperium Babylonicum, Romanum
 „aut Constantinopolitanum, aut totum ter-
 „rarum orbem, quæ certe magna esset po-
 „testas, immo nec in celum, astra, et
 „omnia, quæ sub adspectum cadunt; sed
 „multo altius et longius. Sede, inquit,
 „iuxta me, in sublimi solio, in quo ego
 „sedeo, mihiq; esto æqualis. Id enim vo-
 „cat, iuxta se sedere, non ad pedes, sed
 „ad dextram, hoc est, in eadem maiestate
 „et potestate, quæ diuina appellatur pote-
 „stas.“ Et tandem (5) aduentus ad iudi-
 cium, et cum hoc coniuncta gloriæ ipsius
 patefactio. 2 Thess. I, 7-10. Matth. XXV,
 31. vid. §. VII. n. 3.

§. IX.

§. IX.

Officium nostrum est, (1) Deo non minus pro exaltatione, quam exinanitione Filii ipsius demissas gratias agere, siquidem hæc sine illa nihil nobis proderet; quum contra ex accepta a Patre gloria certo possumus statuere, habere nos ipsum redemptorem ac servatorem perfectissimum; (2) sancta cum reuerentia et demissio obsequio huius nostri gloriosissimi redemptoris præcepto nos submittere; (3) tota vita et moribus nostris non solum mortem, sed vitam etiam et diuinam virtutem Christi prædicare, 2 Cor. IV, 10. XIII, 3. 4. et (4) patefactionem magnæ maiestatis et gloriæ eius fide sperare et expectare. 1 Cor. I, 7. 2 Tim. IV, 8. Tit. II, 13.

§. X.

Solacium est, (1) quod ex hac exaltatione de facta per mortem ipsius redemptione et reconciliatione nostri cum Deo certi esse possumus, Rom. IV, 25. (2) quod ipsum habeamus talem servatorem, qui omne suum meritum nobis applicare et fructuum eius in hac et futura vita participes nos reddere potest, Ps. LXVIII, 19. vid. Rom. V, 10. (3) quod gloria illius nostra quoque gloria, et futurum sit, ut, si modo simul patiamur, statuto tempore ad eam exaltemur. Ps. LXXII, 7. Io. XVII, 22. 24. Rom. VIII, 17. 1 Petr. V, 6.

ARTICVLVS SEPTIMVS

DE

SPIRITV SANCTO.

§. I.

Inter
hunc et
antece-
dentem
articulum
quænam
connexio?

Quam sint in diuina essentia diuersæ personæ, ad veram Dei agnitionem requiritur, vt de earum qualibet sciamus et credamus, quæ sacra scriptura tradit. Posteaquam igitur de prima et secunda persona, Patre et Filio, in præcedentibus articulis actum est; superest, vt in hoc articulo ea, quæ de *tertia*, nimirum *Spiritu sancto*, in verbo veritatis patefacta nobis sunt, subiungamus.

§. II.

Quomo-
do doctri-
na de Spi-
ritu S. di-
uidi po-
test?

Hæc vero præcipue spectant (1) ad illius *personam*, (2) *officium*, et (3) *opera*. De operibus Spiritus S. (quæ ex parte etiam ad doctrinam de officio eius pertinent) in parte posteriore agetur.

§. III.

Quid de
persona
Spiritus S.
notan-
dum?

De *persona* autem Spiritus sancti notandum est, (1) esse ipsum *verum Deum*, (2) esse *veram* atque a Patre et Filio *distinctam personam*, (3) ipsum a Patre Filioque procedere.

§. IV.

Vnde dei-
tas Spi-
ritus S. pro-
batur?

Deitas Spiritus sancti multiplici modo ex scriptura sacra demonstrari potest. Et quidem

I. Ex

I. Ex diuinis nominibus, quæ ipsi non minus, quam Patri et Filio, tribuuntur. Appellatur *Deus*, 1 Cor. III, 16. Aët. V, 3. 4. 2 Petr. I, 21. collat. Hebr. I, 1. 2 Tim. III, 16. et *Iehoua*; vti statim demonstrabimus.

II. Ex collatione testimoniorum veteris et noui testamenti, quando id, quod illic vero et essentiali Deo tribuitur, heic de Spiritu sancto explicatur. Conf. Ies. VI, 9. cum Aët. XXVIII, 25. Ps. XCV, 7-11. eam Hebr. III, 7-10. it. Ies. I, 2. Ier. I, 2. cum 2 Petr. I, 21. 1 Petr. I, 11.

III. Ex diuinis attributis, omnipræsentiae et infinitatis, Sap. I, 7. Psalm. CXXXIX, 7-13. (*LUTHERVS* Postill. Eccles. Dom. Trinit. „Nulli rei creatæ competit, esse ubique locorum, et implere totum terrarum orbem, sed DEO creatori.”) æternitatis, Hebr. IX, 14. Gen. I, 1. 2. omniſcientiæ et omnipotentiae, 1 Cor. II, 10. 11. 12. Ies. XI, 1. 2. Sap. VII, 21-23.

IV. Ex diuinis operibus, creationis, Gen. I, 2. Ps. XXXIII, 6. regenerationis, illuminationis, renouationis, Io. III, 5. Tit. III, 5. liberæ distributionis donorum, 1 Cor. XII, 11. missionis doctorum et ministrorum, Aët. XX, 28.

V. Ex diuino cultu, qui ei tribuitur. Adoratur ab angelis, Ies. VI, 3. coll.

Act. XXVIII, 25. In ipsum baptizamur, adeoque in eum æque ac Patrem et Filium credere debemus, Matth. XXVIII, 19. Quo referendum etiam est, quod peccatum et contumelia in Spiritum sanctum non potest condonari, Matth. XII, 31. 32.

§. V.

Vnde, Spiritum sanctum veram personam, non autem, ut Sociniani volunt, nudam proprietatem seu virtutem in Deo esse, ex eo liquet, quod scriptura sacra ei omnia adscribit, quæ de persona aliqua prædicari possunt, e.g. episcopos constituere, Act. XX, 28. disperdere dona, 1 Cor. XII, 11. audire, loqui, Io. XVI, 13. 14. testari, Io. XV, 26. habitare, 1 Cor. III, 16. certa forma apparere, Matth. III, 16. Act. II, 3. cet. Esse autem personam a Patre et Filio *distinctam*, inter alia manifestum est ex Matth. III, 16. XXVIII, 19. Io. XIV, 16. 1 Io. V, 7.

§. VI.

De processione Spiritus S. quid notandum?

Spiritus sanctus procedit a Patre et Filio. A Patre ipsum procedere, expressis verbis docetur Io. XV, 26. vnde etiam dicitur Spiritus oris eius, Pf. XXXIII, 6. Spiritus ex Deo, 1 Cor. II, 12. A Filio autem ipsum quoque procedere, ex eo patet, quod appellatur Spiritus Christi, Rom. VIII, 9. Spiritus Filii, Gal. IV, 6. Spiritus oris eius, 2 Theff. II, 8. Spiritus labiorum eius, Ies. XI, 4. et quod Filius omnia cum Patre

Patre habet communia, Io. XV, 26. XVI, 15. Vnde Christus adflatu Spiritum sanctum discipulis impertiuir, Io. XX, 22. qui etiam limpidus vitalis aquæ fluuius est, ex Dei et Agni folio manans, Apoc. XXII, 1. *LUTHERVS* in dictum Genes. XXII, 18. Tom. VIII. Alt. fol. 963. b. „Deus Pater est
 „fons et scaturigo deitatis, utpote qui eter-
 „nus et omnipotens Deus est ex se ipso, et ab
 „eterno genuit in paterno corde suo Filium,
 „cique per æternam generationem dedit diui-
 „nitatem suam. Secunda autem persona, Fi-
 „lius, ab æterno genitus est a Patre, qui di-
 „uinitatem non habet a se ipso, sed a solo Pa-
 „tre. Tertia persona, Spiritus sanctus, non
 „est genitus, ut Filius, sed simul a Patre et
 „Filio procedit, a quibus etiam ab æterno di-
 „uinitatem suam habet. „

§. VII.

Præter processionem Spiritus sancti no-
 tanda etiam missio siue donatio eius, ubi Pa-
 ter Luc. XI, 13. Io. XIV, 16. et Filius c. XVI,
 7. Apoc. XXII, 1. ipsum Spiritum sanctum
 (non sola eius dona) petentibus a se sibi que
 obedientibus Luc. XI, 13. Act. I, 14. vel
 modo quodam extraordinario et signis visi-
 bilibus Act. II, 1. sqq. vel ordinario et in-
 uisibili modo per verbum et sacramenta
 Gal. III, 2. 5. Tit. III, 5. 6. 1 Cor. XII, 13.
 donat atque impertit. *LUTHERVS* in tria
 symbola christianæ fidei, Tom. VII. Wirteb.
 fol.

Num pro-
 cessio Spi-
 ritus san-
 cti et mis-
 sio eius
 res ea-
 dem?

fol. 143. b. (Tom. VI. Alt. fol. 1262. a.)
 „Quum homo ab homine procedit ac mittitur,
 „ibi non personæ tantum, sed ipsa etiam sub-
 „stantia separatur, et alius ab alio procul
 „distrahitur. Hic autem Spiritus sanctus pro-
 „cedit a Patre et Filio (quemadmodum et mit-
 „titur a Patre et Filio) et separatur quidem
 „in aliam personam, attamen in essentia Patris
 „et Filii manet, et Pater ac Filius manent in
 „essentia Spiritus sancti, hoc est, omnes tres
 „personæ manent in una eademque diuinitate.”

§. VIII.

Officium
 Spiritus S.
 quotu-
 plex?

Officium Spiritus sancti quadruplex est,
 (1) elencticum, (2) didascalicum, (3) pæ-
 deuticum siue paræneticum, et (4) paracle-
 ticum.

§. IX.

De offi-
 cio eius
 elenctico
 quid no-
 tandum?

Officium elencticum Spiritus sancti pro-
 prie ad mundum spectat, quem Spiritus san-
 ctus partim naturali conscientie commotio-
 ne, Rom. II, 15. 16. partim verbi diuini
 prædicatione, Io. XVI, 8. 9. 1 Cor. XIV,
 24. 25. Tit. I, 9. partim etiam occasione
 certorum casuum et factorum, Gen. XLII,
 21. 22. Apoc. XI, 13. de peccato arguit,
 et de ira diuina atque futuro iudicio con-
 uincere adlaborat, Act. XXIV, 25. ut ex so-
 mno securitatis et hypocrisis exsuscitentur,
 ad veramque resipiscenciam perducantur,
 Act. II, 37. aut certe hæc, ob malitiosam
 eorum repugnantiam, deficiente, inexcusa-
 biles

biles sint. c. VII, 51. Gen. VI, 3. Ief. LXIII, 10. Rom. II, 15. coll. c. I, 20. In *fidelibus* Spiritus sanctus itidem propter reliquias vitiositatis, quas adhuc secum gestant, officium suum exercet, ut in quotidiana penitentia conferuentur, a peccatis arceantur, et ad maius sanctificationis, quæ vitam ac pacem adfert, (Rom. VIII, 6.) studium excitentur. Ps. XIX, 12. Apoc. III, 19. 2 Sam. XXIV, 10. Officium Spiritus sancti elencticum alias opus eius *alienum*, quemadmodum docere, hortari et solari *proprium* eius opus vocatur.

§. X.

Officio didascalico, quatenus ad salutem De officio
prouehit, Spiritus sanctus in eos duntaxat eius di-
fungitur, qui officio ipsius elenctico ad ve- dascalico
ram resipiscenciam se perducere sinunt, quid?
naturalem stultitiam suam ac cæcitatem in rebus
spiritualibus agnoscunt, et cælestem lucem
ab eo submisisse petunt. Matth. XI, 25. Ps.
XXV, 14. Sap. I, 5. Sir. LI, 26. 27. In eo
aurem consistit, quod illis mysteria diuini
regni siue veritates cælestes ita viuide et ef-
ficaciter tantaque cum conuictione tradat co-
gnoscendas, ut eas tamquam veritates diui-
na cum certitudine accipiant, atque intelli-
gant, quæ sibi a Deo donata sunt, 1 Cor.
II, 6-12. Eph. I, 17. 18. 2 Petr. I, 10. 1 Io.
II, 27. V, 6. Matth. XVI, 17. Act. XVI, 14.
LUTHERVS Comment. in epist. ad Gal. I.
Tom. I. Ienens. lat. fol. 376. b. (Tom. I. Alt.
fol.

fol. 163. b.) „*Doctrina fidei docet ad gratiam*
 „*confugere, et implorare ipsummet Deum,*
 „*magistrum et doctorem, qui digito Spiritus*
 „*sui scribat in corda nostra suas litteras, viuas*
 „*et lucentes et ardentes. Quibus illuminati*
 „*et accensi clamemus: Abba, Pater! Et*
 „*haec non est paterna, sed diuina eruditio.* „
 Ceterum in schola Spiritus sancti (cui syna-
 goga satanae opponitur Apoc. III, 9.) dantur
 pueri, iuuenes, et patres, 1 Io. II, 13. 14.
 et qui in eo, quod didicit, manet, et fi-
 delem se præbet, magis magisque doce-
 tur et illuminatur, Matth. XIII, 12.
 XXV, 29. Col. I, 9. 10. 2 Petr. I, 8. Ies.
 LVIII, 7. 8.

§. XI.

De officio
 eius pæ-
 deutico
 quid?

Officium pædeuticum siue paræneticum
 ad solos Dei filios pertinet, Rom. VIII, 14.
 quippe quos Spiritus sanctus per verbum
 diuinum, quod tamquam semen viuum ani-
 mis suis retinent, a peccatis auocat, ad bo-
 ni autem et recti studium, in primis ad ve-
 ram sui et mundi abnegationem, ad preces
 et sinceri in alios amoris exercitium effi-
 caciter impellit, 1 Io. III, 9. Hebr. XI,
 24-26. Rom. VIII, 26. 27. 2 Cor. VII, 1.
 Genes. XVII, 1. vt ira pleni iustitiæ fru-
 ctibus cælestem Patrem concelebrent, et
 in interiorem hominem sine intermissu
 corroborentur, Phil. I, 11. Eph. III, 16.
 Gal. V, 22.

§. XII.

§. XII.

Officii paracletici soli resipiscentes, re- De officio
geniti et fideles sunt capaces, quippe quo- eius para-
rum animos Spiritus sanctus Dei amore in clerico
Christo perfundit, Rom. V, 5. et quibus quid?
omnes perpeſſiones et adſiſtiones, varia ea-
que ſolida conſolationis argumenta ex verbo
diuino proponendo diuinamque virtutem
ſub illis durandi ſubminiſtrando, leues red-
dit et dulces; quo ipſo diuina pax in anima
cuſtoditur, ipſi autem ad bonum magis
magisque excitantur in eoque confirmantur,
2 Cor. I, 5. Rom. XV, 4. Pl. CXLIX, 92.
1 Petr. IV, 14. Act. V, 41.

§. XIII.

Officium noſtrum eſt, (1) diligenter Quod-
nos explorare, virum Spiritus Chriſti in nam ſe-
nobis habiter, an non, 1 Io. III, 24. Rom. cundum
VIII, 9. (2) a Deo ipſum Spiritum S. et hanc do-
augmentum donorum eius ſubmiſſe et inde- ctrinam
finenter petere, Luc. XI, 13. Io. IV, 10. officium
noſtrum?
Eph. I, 17. (3) operationibus eius, ſecun-
dum omnia eius officia, locum relinquere,
et (4) ipſum neque in nobis, neque in aliis
contriſtare, ſed porius dona eius ſuſcitare,
et Chriſto in iuſtitia, pace et gaudio in Spi-
ritu ſancto ſeruire, Eph. IV, 30. V, 18. 1 Cor.
III, 17. 2 Tim. I, 6. Rom. XIV, 17. 18.

§. XIV.

Solatum, quod ex doctrina de Spiritu Quod-
ſancti perſona et officio fluir, eſt, (1) quod nam ſola-
Pater tium?